



# IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)



6"





Photographic Sciences Corporation

23 WEST MAIN STREET
WEBSTER, N.Y. 14580
(716) 872-4503

CIHM
Microfiche
Series
(Monographs)

ICMH
Collection de
microfiches
(monographies)

Canadian Institute for Historical Microreproductions / Institut canadien de microreproductions historiques

© 1991

## Technical and Bibliographic Notes / Notes techniques et bibliographiques

The Institute has attempted to obtain the best original copy available for filming. Features of this copy which may be bibliographically unique, which may alter any of the images in the reproduction, or which may significantly change the usual method of filming, are checked below.

L'Institut a microfilmé le meilleur exemplaire qu'il lui a été possible de se procurer. Les détails de cet exemplaire qui sont peut-être uniques du point de vue bibliographique, qui peuvent modifier une image reproduite, ou qui peuvent exiger une modification dans la méthode normale de filmage sont indiqués ci-dessous.

- [ ] Coloured covers/ Couverture de couleur
- [ ] Covers damaged/ Couverture endommagée
- [ ] Covers restored and/or laminated/ Couverture restaurée et/ou pelliculée
- [ ] Cover title missing/ Le titre de couverture manque
- [ ] Coloured maps/ Cartes géographiques en couleur
- [ ] Coloured ink (i.e. other than blue or black)/ Encre de couleur (i.e. autre que bleue ou noire)
- [ ] Coloured plates and/or illustrations/ Planches et/ou illustrations en couleur
- [ ] Bound with other material/ Relié avec d'autres documents
- [ ] Tight binding may cause shadows or distortion along interior margin/ La reliure serrée peut causer de l'ombre ou de la distorsion le long de la marge intérieure
- [ ] Blank leaves added during restoration may appear within the text. Whenever possible, these have been omitted from filming/ Il se peut que certaines pages blanches ajoutées lors d'une restauration apparaissent dans le texte, mais, lorsque cela était possible, ces pages n'ont pas été filmées.

- [ ] Coloured pages/ Pages de couleur
- [ ] Pages damaged/ Pages endommagées
- [ ] Pages restored and/or laminated/ Pages restaurées et/ou pelliculées
- [x] Pages discoloured, stained or foxed/ Pages décolorées, tachetées ou piquées
- [ ] Pages detached/ Pages détachées
- [x] Showthrough/ Transparence
- [x] Quality of print varies/ Qualité inégale de l'impression
- [ ] Continuous pagination/ Pagination continue
- [ ] Includes index(es)/ Comprend un (des) index

  Title on header taken from:/ Le titre de l'en-tête provient:
- [ ] Title page of issue/ Page de titre de la livraison
- [ ] Caption of issue/ Titre de départ de la livraison
- [ ] Masthead/ Générique (périodiques) de la livraison

- [x] Additional comments:/ Commentaires supplémentaires: Page 220 comporte une numérotation fautive: p. 196.

This item is filmed at the reduction ratio checked below/
Ce document est filmé au taux de réduction indiqué ci-dessous.

| 10X | 12X | 14X | 16X | 18X | 20X | 22X | 24X | 26X | 28X | 30X | 32X |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | | | | | | | ✓ | | | | |

The copy filmed here has been reproduced thanks to the generosity of:

National Library of Canada

The images appearing here are the best quality possible considering the condition and legibility of the original copy and in keeping with the filming contract specifications.

Original copies in printed paper covers are filmed beginning with the front cover and ending on the last page with a printed or illustrated impression, or the back cover when appropriate. All other original copies are filmed beginning on the first page with a printed or illustrated impression, and ending on the last page with a printed or illustrated impression.

The last recorded frame on each microfiche shall contain the symbol —► (meaning "CONTINUED"), or the symbol ▼ (meaning "END"), whichever applies.

Maps, plates, charts, etc., may be filmed at different reduction ratios. Those too large to be entirely included in one exposure are filmed beginning in the upper left hand corner, left to right and top to bottom, as many frames as required. The following diagrams illustrate the method:

L'exemplaire filmé fut reproduit grâce à la générosité de:

Bibliothèque nationale du Canada

Les images suivantes ont été reproduites avec le plus grand soin, compte tenu de la condition et de la netteté de l'exemplaire filmé, et en conformité avec les conditions du contrat de filmage.

Les exemplaires originaux dont la couverture en papier est imprimée sont filmés en commençant par le premier plat et en terminant soit par la dernière page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration, soit par le second plat, selon le cas. Tous les autres exemplaires originaux sont filmés en commençant par la première page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration et en terminant par la dernière page qui comporte une telle empreinte.

Un des symboles suivants apparaîtra sur la dernière image de chaque microfiche, selon le cas: le symbole —► signifie "A SUIVRE", le symbole ▼ signifie "FIN".

Les cartes, planches, tableaux, etc., peuvent être filmés à des taux de réduction différents. Lorsque le document est trop grand pour être reproduit en un seul cliché, il est filmé à partir de l'angle supérieur gauche, de gauche à droite, et de haut en bas, en prenant le nombre d'images nécessaire. Les diagrammes suivants illustrent la méthode.









222. II
316

649

# IAC. CORNVTI
## DOCTORIS MEDICI PARISIENSIS

## *CANADENSIVM PLANTARVM,*
*aliarúmque nondum editarum*

# HISTORIA.

*Cui adiectum eſt ad calcem*

## ENCHIRIDION BOTANICVM PARISIENSE,

*Continens Indicem Plantarum, quæ in Pagis, Siluis, Pratis, & Montoſis iuxta Pariſios locis naſcuntur.*

Edition recherchée

PARISIIS,
Venundantur apud SIMONEM LE MOYNE, viâ Iacobeâ.

M. DC. XXXV.

*CVM PRIVILEGIO REGIS.*

653

# CAROLO BOVVARDO ARCHIATRORVM COMITI.

IACOBVS CORNVTI Doctor Medicus Pariſienſis S. D.

S*CIO quoſdam*, CAROLE BOVVARDE, *noſtri ſeculi Medicos Plantarum omnium abnuiſſe curam, earumque decocta velut inutilia medẽdis morbis, aut etiam ægrotantibus faſtidioſa conſtantiſsimè repudiaſſe; Inter quos Germani nonnulli & cæteri qui metallicis addicti nihil præter horũ ſales conditis exceptosglorioſè & citra nauſeam corporibus conferre ſanitatem affirmantes, purgationum noſtrarum, Foliorum, Rhei, & Siliquæ compoſitiones velut profeſsione ſuâ indignas longiſsimè ablegarunt: quaſi ſit ægro contrarium talia præſcribentis medici propoſitum: cùm ille quàm maximè puris,*

*& gratioribus epulis gaudeat, hic acerba tantùm & amara propinet apozemata, quæ diluti etiam ſyrupi nimiâ dulcedine ſæpè nauſeam mouent: ille poſthabitâ morbi ratione, corporis vires vno tantùm victu recuperare ſtudeat, hic eaſdem mediocriter atterendo aſſiduâ potionum exhibitione morbi vim infringere. Ita fit, aiunt, vt quod ægrotus abominatur, contrà nos videamur optare. Sed in his tam diſcordantibus votis, eſt tamen quædam naturalis ſocietas, & amica coniunctio; quoniam vſu-venit plerumque morboſam ægrotantis intemperiem ſuauiore & pleniore nutricatu inualeſcere, & per alterantia herbarum decocta, velut ptiſanas cibatum ægrum à morbi magnitudine vindicari. Ac proinde, vt arbitror, nulla eſt regio in quâ medicina Hippocraticè exercetur, quæ vt venæ ſectionis & purgationum herbariarum, ita & alterantium medicamentorum adiumento non vtatur. Nam in arte medendi vel antiquiſſima eſt ratio per ſimplices herbas morbos abigendi, eaque tutiſſima ſemper fuit. Has ſcilicet natura nobis vitæ ſalubritatiſque causâ ad manum eſſe voluit: eoque propoſito vbique nobis obuias fecit, vt in pernoſcendis quiſque animum applicaret. Quod ſi ita eſſet, non ſua profectò cuique venalis ſanitas fo-*

ret; in nullo penè namque loco gradum ſiſtere liceret, quin & in eo admirabiles ſimul plantas & inſperatum ægritudinibus noſtris ſolatium decerperemus. Clarus medicinæ Herophilus nonnullas etiam calcatas prodeſſe affirmabat; adeo incredibilis fuit apud eum & antiquos exiſtimationis herbarum ſcientia; æqualis quippe cenſebatur gloria herbam inueniſſe, & vitam iuuaſſe. Hæc quoque medendi ſcientia è Græcia migrauit in ſcholam noſtram Pariſienſem, quæ ablegatis cæteris præſidiis quæ è terræ viſceribus effodiuntur, ea maximè vſurpat quæ plantæ earumque partes ſubminiſtrant. Hæc ſiquidem agnouit, quæ dum viuerent caloris natiui iugum ſubiere, a noſtro poſſe facilè confici: et ſi fortè ſegnius aliquando proceſſerint etiam ſine noxa cedere in alimentum. Tantùm verò apud te valuit eadem hæc opinio, vt omnis generis ſtirpium locupletiſſimum hortum ex munificentiâ Regiâ, non dicam publico, ſed toti Orbi admirabilem compararis; Cuius horti præfecturam Rex Chriſtianiſſimus tibi velut inſigne dedit valetudinis toties recuperatæ monumentum (Intelligebat quippe Princeps admirabilis ingenij, magnam eſſe, vt Theophraſtus ait, medicæ artis & olitoriæ affinitatem, nec alia ratione corpus, quàm plantas eſſe colen-

*dum.) Ille quidem obtulit herbariam coronam tibi ſalutaria conſulenti; Ego verò qui ſub tuis, tuorumque vexillis dudum militaui, teque ſemper vt actus medicinalis ab initio ducem, ita & ſtudiorum velut exemplar impoſterum mihi propoſui: Ego Tibi inquam Gramineam coronam hanc contexui, non quidem vulgarem, & ex vulgaribus graminibus conſertam, quæ licet ignobilia, honorem tamen nobilem faciunt: ſed ex inauditis plantis & a nullo auctore antea celebratis, quas Canada, America meridionalis, India, & Hiſpania genuerũt. Harum nobiliſſimas vndecumque conuocaui, vt ſummum tuum in ſe dominatum & Imperium agnoſcerent, ac venerarentur. Quia verò nuda erant, ac velut in patrio ſolo, inculta: obtexi ſingulas latinâ quadam lacernâ, quæ tibi fortaßè minus polita videbitur: ſed eſt ſermo rei explicatæ accommodatus, qui agreſtes tantùm ſilueſtreſque plantas deſcribit, quique in ipſo plerumque horto fuit extemporaneus. Hanc itaque corollam ſi æquo exceperis animo, non dubitabit illa ſub auſpiciis beneuolentiæ tuæ in lucem prodire, nec verebitur muſæorum cellis coarctari, ſeque non grauem legentium manibus præbebit. Quocumque vero peruenerit, ampla tui nominis ſtemmata fronti impreſſa, longè, latéque diffundet. Vale.*

# AD LECTOREM

VT creſcit in dies auida cuiuſque ſciendi libido, ita & natura ſui non prodiga, pro menſurâ cuiuſque laboris ſinum explicat: felicem certè neotericis qui indefeſſo animo, nec intolerabili labore territi, nouas terras, non tam opes acquirendi quàm inquirendi ſtudio, traiecto quacunque Oceano detexerunt; Et ex Americâ vtraque, & Indiis quamplurimas ſtirpes aduexerunt veteribus omnibus incognitas; quæ ſine dubio non parùm negotij facerent poſteris, eorum ſcripta euoluentibus, ſi ſilentio obtegerentur. Vt porò quæ poſitas ab auctoribus proprias plantarum differentias eludant, & nouâ atque inauditâ velut formâ ſpeciem mutent: adeo vt ſi quod genus ex natura ἄκαυλον, ἀνανθὲς, καὶ ἄκαρπον ſcriptitarint, eiuſdem generis frutex inuentus modò ſit contrariis dotibus ornatus. Earum ergo ſtirpium quæ in exteris terris naſcuntur, amantque ſolitudines inacceſſas, & incultis illis ſquallentibuſque locis maximè delectantur, perſequimur hiſtoriam, eamque breuem, quia non de omnibus, ſed de nondum à quoquam auctore (quod equidem ſciam) editis hic eſt ſermo: in qui-

ἀχαυλον

bus licet nulla ſæpè ſit nec pomi, nec baceæ commendatio; imò nec ſuauitas aut ſpecies earum ad ſe nos inuitet, indictas tamen omnes indiſcriminatim perſequuti ſumus: vt quiſque intelligat quàm, ſub ſordida iſta facie, & horrido velut aſpectu quem præ ſe ferunt ſiluestres illæ nonnullæ plantæ, lateat eximia medendi facultas; Sacrâ videlicet parente omnium naturâ nuſquam non remedia diſponente, homini vt medicina fieret. Singulis verò plantis aptauimus nomina, quæ maximè propria iudicauimus, vt clarior foret omnis earum cognitio. Non aliâ namq; de causâ ſiluestrium ferè omnium notitiam ab antiquis eruere non poſſumus: niſi quòd apud Græcos τῶν μὲν ἀγρίων ἀνώνυμα τὰ πλεῖστα referente Theophraſto, & apud Latinos maiore ex parte earumdem nomenclaturæ defuit cura, vt teſtatur Plinius, qui ſæpè queritur etiam quòd genera arborum Macedones narrauerint magna ex parte ſine nominibus. Quæ verò indicauimus hocce libello contentarum Canadenſium plantarum nomina, doctis herbariis diſquirenda potius, quàm affirmanda proponimus: nulliuſque ſenſum volumus his aſtringi, ſed liberum in eo cuiuſque iudicium relinquimus. Maluimus tamen propoſito nomine hiſtoriam afferre, quàm more antiquiorum de plantis diſſerere. Ob id enim obſcurior eſt plantarum ab iis proditarum cognitio, & quod de anonymis ſæpenumero diſſeruerint, & quòd conciſè nimis velutique obiter nominatarum hiſtoriam perſtrinxerint. Sic

Theo-

Theophraſtus velut apud eruditos de plantis agit. Dioſcorides paulò fuſius explicat, ſed ſemper aliquid diſquirendum relinquit. Plinius Theophraſti more potius nominat quàm depingit. Ita fit vt ſuas plantas intra ſe conſumant auctores, ſintque noſtro orbi tantùm nominibus cognitæ. Recentiores vero cùm nullam vel minimam particulam intactam prætereant, longiores eſſe malunt in deſcribendo, quàm breuitatis ſtudio vel minuto lineamento relicto ſtudioſos demorari. Neque inficior id eos optimâ ratione feciſſe, cùm deſcribendi ſcientia picturæ arti omninò reſpondere videatur. Hos itaque ſecutus, in cuiuſque plantæ (quam & ipſe vidi, & ad viuum delineari iuſſi) hiſtoria expatiari latiùs conſilium fuit: ſeu in ratione nominis inueſtiganda, ſeu in explicandis Viribus aut natali ſolo. Plerumque etiam Theophraſti verba inſeruimus, nunc Plinij, nunc aliorum auctorum: præſignato ſemper aut in textu, aut in margine auctoris nomine. Quod eo potiſſimùm conſilio feci, vt auctorum natiua & genuina loquendi venuſtas eo magis eluceret, cùm ſermonis eorumdem particula minus excultæ meæ orationi intermiſceretur; eſſetque velut in viridi prato ſparſa viola, quæ è diſtanti ſpatio etiam interſtinguitur. Porro huic operi ad calcem, à nemine hactenus compoſitum Enchiridion Botanicon Pariſienſe adiecimus. Opus certè nouitiis expetendum, in quo plantæ inſinuantur, & rariores quæ in hortis noſtris publicis, & vulgares quæ in pa-

gis, pratis, paludibus, fluuiis, montibus, ſiluis, maceriis, & locis incultis iuxta Pariſios ſitis inueniuntur. Quarum herbarum nomina (ne me auctorem putes) à Lobelio deſumpſimus. Hunc ergo meum laborem, Lector beneuole, ſi æqui bonique conſulas, alacriorem me ad noua & meliora commentationum genera aliquando incitabis. Vale.

# INDEX CAPITVM HVIVS LIBRI.


| | |
|---|---|
| *De filice* | CAPVT. 1 |
| *Filix baccifera.* | 2. |
| *Adiantum Americanum.* | 3. |
| *Thlaſpi luteum ſpanoſpermon.* | 4. |
| *Roſa punicea.* | 5. |
| *Origanum fiſtuloſum Canadenſe.* | 6. |
| *Eruca maxima Canadenſis.* | 7. |
| *De valeriana.* | 8 |
| *Valeriana vrticæ-folia flore albo.* | 9. |
| *Valeriana vrticæ-folia flore violaceo.* | 10. |
| *Aſaron Canadenſe.* | 11. |
| *De polygonato.* | 12 |
| *Polygonatum ſpicatum ſterile.* | 13. |
| *Polygonatum ſpicatum fertile.* | 14. |
| *Polygonatum racemoſum.* | 15. |
| *Polygonatum ramoſum flore luteo maius.* | 16. |
| *Polygonatum ramoſum flore luteo minus.* | 17. |
| *De Hedyſaro.* | 18 |
| *Hedyſaron triphyllum Canadenſe.* | 19. |
| *Bugula odorata Luſitanica.* | 20. |


é ij

*Cyclaminum orientale. Katmer Bouhour. Turcarum.* 21
*Cyclaminum montis Libani.* 80
*De Arundine.* 22
*Arundo Indica variegata.* 23
*Fumaria ſiliquoſa ſemper virens.* 24
*Fumaria Tuberoſa inſipida.* 49
*Aquilegia pumila præcox. Canadenſis.* 25
*Aſter luteus alatus.* 26
*Aſteriſcus latifolius Autumnalis.* 27
*De Centaurio,* 28
*Centaurium maius luteum.* 29
*Centaurium folijs Cynaræ.* 30
*Panaces* κάρπιμον *.ſ. racemoſa Canadenſis.* 31
*Herbatum Canadenſium .ſ. panaces moſchatum.* 80
*Aconitum baccis niueis, & rubris.* 32
*Gladiolus Æthiopicus flore coccineo.* 33
*Rhamnus Myrtifolius ex Inſula ſancti Chriſtophori.* 34
*Car'chichec Turcarum.* 35
*De Apocyno.* 39
*Apocynum maius Syriacum rectum.* 37
*Apocynum minus rectum Canadenſe.* 38
*Ranunculus Latifolius multiplex ſerotinus.* 39
*Edera trifolia Canadenſis.* 40
*Edera quinque-folia Canadenſis.* 41
*Gelſeminum Ederaceum Indicum.* 42
*De Geranio Triſti, & per occaſionem eius, plantarum in diurnas & nocturnas diuiſio.* 43
*Varietatis ſupradictæ cauſſarum enarratio.* 45
*Perennitatis florum cauſſæ.* 46
*Cur nonnulli flores ad ſolem aperiuntur, alij ad lunam*

ſolum, & vnde tanta in plantis odorum diuerſitas 47
Geranium Triſte. 44
Scordium ſpinoſum odoratum. 48
Lamium aſtragaloides. 50
Trifolium aſphaltion Canadenſe. 51
Colchicum variegatum. 52
Colchicum ſtriatum ibid.
Colchicum flore pleno. ibid.
Colchicum Amaranthinum. ibid.
De Millefolia tuberoſa. 53
Althæa Roſea peregrina. 54
Rapiſtrum maximum Rotundifolium Monoſpermon. 55
Rubus odoratus. 59
Narciſſus pumilus Indicus polyanthos. 57
Narciſſus Iaponicus rutilo flore. 58
Ornithogalon luteo-virens Indicum. 59
Plantago maxima Hiſpanica. 60
Siſynrichium Indicum. 61
Solanum triphyllon Canadenſe. 62
Solidago maxima Americana. 63
Acacia Africana Robini. 64
Pimpinella maxima Canadenſis. 65
Cerefolium latifolium Canadenſe. 66
Aconitum Helianthemum Canad. 67
Aquifolium echinata folij ſuperficie. 68
Vitis laciniatis folijs 62. fol. 182
Faſeolus puniceo flore, fol. 184. cap. 69
Thalictrum Canadenſe 70
Agem lilag Perſarum. 71

*Eupatoria folijs Enulæ.*
*Bellis ramoſa vmbellifera.* 72
*Angelica lucida Canadenſis.* 73
*Angelica atropurpurea Canadenſis.* 74
*Apios Americana.* 75
*Myrtus flore pleno.* 76
Calceolus *Marianus* Canad. 77
*Lupinus Indicus.* 78
*Piloſella Indica.* 79
Saponaria *flore pleno.* 80
*Viola matronalis flore pleno.* ibid.
*Hiacynthus comoſus calamiſtratus.* ibid.
*Chelidonium maximum* ἄκαυλον *Canadenſe.* ibid.
*Statiche maxima Americana.* ibid.
*Radix* Snagrôel *nothæ Angliæ.* ibid.

# IN HISTORIAM PLANTARVM CANADENSIVM, A IACOBO CORNVTIO editam.

*VENERAT extremis terrarum Gallus ab oris*
*Non viſos frutices nauita claſſe vehens:*
*Et noſtris flores iam ſpectabantur in hortis*
*Conſpicui pretio, nec nouitate minus.*
*Emptorem vel gratus odor ducebat hiantem,*
*Vel naturali picta figura manu.*
*Intereà vtilitas non explorata latebat,*
*Effectus nec qui diceret, vllus erat:*
*Hoc te,* CORNVTI, *mouit; tu nomina plantis*
*Imponis, vires, effigiéſque notas;*
*Interdum cauſſas ſollers rimaris, vt ille*
*Diuino referens nomen ab eloquio.*
*Nunc gaudent Aſclepiadæ ſermone Latino*
*Per te Barbarici diſcere dona ſoli.*
*Quin etiam natura tibi debere fatetur,*
*Ignotas quòd opes non ſinis eſſe ſuas.*

H. V.

IN

# EIVSDEM AVCTORIS ENCHIRIDION BOTANICON.

*VT Medicis des, CORNVTI, cognoſcere plantas,*
*Et quo quæque frequens naſcitur herba loco:*
*Prata, ſuburbanos ſaltus, montéſque, paludéſque*
*Excutis, & ſi quid deuia vallis habet.*
*Qualis Pelidem, patrias monſtraret vt herbas,*
*Ducebat Chiron per iuga Theſſaliæ.*

H. V.

---

## AD EVNDEM AVTHOREM.

### EPIGRAMMA.

*MVLTA ſolo noſtro prudens natura negauit;*
*Omnia nec paßim quælibet edit humus.*
*Quod tamen ex oculis alter ſubduxerat orbis,*
*Nobis humanæ nunc patet artis ope.*
*Sed poſtquam exoticas profert* CORNVTIVS *herbas,*
*Plus vni debet Gallia tota viro.*
*Aurum etenim, & gemmas vexit ſollertia, Nemo*
*Attulit in noſtros tam pretioſa lares.*

GVIDO PATINVS, Bellouacus,
Doctor Medicus Pariſienſis.

# I. CORNVTI DOCTORIS MEDICI PARISIENSIS

## *CANADENSIVM PLANTARVM, aliarumque nondum editarum*

## HISTORIA.

### *DE FILICE.*

### CAPVT I.

FILICIS maris & fœminæ, quæ πτέρις & θηλύπτερις à pennatâ foliorum figurâ Græcis nominatur, tam trita eſt apud Græcos & Latinos mentio, tam vulgata deſcriptio, vt eandem hiſce lucubrationibus intexere non modò lectori faſtidio foret, ſed mihi ſolùm de varietate & nouitate plantarum agenti, ſu-

peruacaneum. Satis itaque factum arbitror, ſi varium & multiplicem in Filicis ſpeciebus naturæ luſum, & inauditam hactenus Filicem patefecero.

Filicis itaque tot, pluresque ſunt ſpecies, quot Dioſcorides epitheta διωρισμένα filicis poſuit. Neque abſolutè cum ipſo & Theophraſto quoque dicendum: Filici φύλλα ἐστὶν ἄκαυλα, καὶ ἀνανθῆ, καὶ ἄκαρπα. Sed potius Filix alia eſt ſine folijs & cum caule, alia cum folijs & ſine caule, alia cum folijs cum caule & cum floribus ſine fructu, alia denique ſine floribus & cum fructu. Quod quidem non commentitium eſſe, vt Ruellius, aut fabuloſum, vt Fuchſius cenſet, legenti perſpicuum erit. Filicem ſine

Filix ſaxea Tragi.

foliis & cum caule deſcripſit Tragus: hæc inter ſaxa naſcitur, & caulem profert digitum longum, multiplicem, ex vnâ capillatâ radice, in cacumine binis vel ternis corniculis, aut ſi mauis incuruis quaſi ſetis, quæ purpureis ex aduerſo notantur punctis, conſpicuum: guſtu & odore cum Filice vul-

Filix mas & fœmina Dryopteris Chamæfilix marina.

gari conuenit. Filix cum folijs & ſine caule vulgares ſunt mas & fœmina, & Dryopteris ſatis per ſe notæ: quibus Lobelius addit Chamæfilicem Marinam Anglicam, quam ait non niſi in ſaxorum, rupiumve interueniis, aut petroſis aſperginibus Cornubiæ reperiri ad maris alluuiones. Folijs, caule,

Oſmunda regalis.

& floribus ornatur Oſmunda regalis: ob id Filix florida dicta: quæ ex radice craſſa multis ſegmentis imbricatim appoſitis compactâ, folia profert in vtroque caulis latere pinnata, dilutè virentia, & Polypodij more non crenata: in quorum vertice

candicantem florem caulis ſuſtinet, qui Iulio ſine ſemine marceſcit. Bauhinus in Prodromo Filicis aculeatæ duplicis mentionem fecit. Filix mas aculeata maior, inquit, radicem habet nigram, fibroſam, pediculos pedales, folioſos, in multas alas pinnatas, modo maiores, modo minores profundius diuiſos, pallidè virentes, primis in ambitu dentatis, & in breuem ſpinulam deſinentibus. Filix mas aculeata minor pinnulis eſt breuibus, totis integris non dentatis, ſed in ſpinulam acutam breuémque omnibus deſinentibus: Hæc ſunt antiquæ inuentionis Filicum genera: nunc velut omnium cumulus ſuprema dicetur quæ noſtra eſt.

*Lib. 10.c.3.* Filix aculeata vtraque.

# FILIX BACCIFERA.



Polypodium bulbiferum. Lin:

# *FILIX BACCIFERA.*

## CAP. II.

FILIX ſine floribus & cum fructu folio non eſt infœcundo vt cæteræ, ſed fructu à tergo foliorum luxuriat, adeò fragili vt vel vltrò, vel leuiſſimo contactu deſiliat, vt Perſicarię ſiliquoſæ: ideóq; Filicē bacciferam nominauimus. Dryopteridis inſtar enaſcitur, ac ſenſim in cubitum erigitur pennatis folijs, in ambitu crenatis, luteo-virentibus: quæ creſcunt vtrinque ad caulem non facile flexilem citra rupturam, pone rotundum, ante excauatum ſinu exiguo per totam longitudinem exporrecto; ſeminum etiam rudimenta poſticis folijs adhærent, inter quæ ſparſim eminent rotundi globuli, nunc bifidi, virides initio, deinde nigri, guſtu ſuaui, Polypodij ferè radicis ſaporem referente, qui tandem maturi vix tactum patiuntur, ſed ſponte decidentes terræ infiguntur, vnde noua ſuccreſcit ſoboles. Radice nititur multis contexta fibris capilloſis, colore fuſcis, & guſtu ſubacerbis. In America Septentrionali paſſim inter ſaxa prouenit, pullulat Aprili ineunte, baccæ mediâ æſtate matureſcunt, folia Nouembri marceſcunt, ſuperſtite ſolâ per hyemem radice. Filix baccifera.

Vires ipſi vt Polypodio querno, eiuſque locum inter ſuccedanea ſubire poteſt.

A iij

# ADIANTVM AMERICANVM.



Adiantum pedatum. L.

## *Adiantum Americanum.*

## CAP. III.

QVICQVID arte barbarica Phrygiones moliantur texendis plumarum ramulis ad limbum veſtium ornandum, nihil aut mente excogitari, aut acu pingi poteſt nobilius admirabili foliorum ordine quem oſtêrat noua hæc Capilli Veneris ſpecies, feliciter admodum expreſſa ab ſtrenuo noſtro Chalcographo; prout in horto D. Robini conſpexit: quamuis longè ſit ornatior eius figura in America Septentrionali, in quâ naſcitur proceritate pluſquam cubitali: quò namque folia altiora ſunt, eô pluribus diducta ramulis incredibilem naturæ luxum, luſumve præbent admirandum.

Huic radix puſilla, capillamentis nigris fibrata; cauliculi exeunt atropurpurei, in cubitum ſe attollunt, ſeptemque aut octo ramulis diuiſi, in orbem expanſi latiſſimè ſe ſpargunt; adnaſcentibus interim proceſſibus quamplurimis, qui cum ramulis leuiter criſpantur extremo. Folia Adianto vulgari ſimilia ſunt ſed ampliora, Galli criſtam referentia ſunt enim infimâ parte lineâ curuâ clauſa, ſuperiori nonnullis ſinubus laciniosâ, omnia contrariis pediculis denſa inter ſe & ex aduerſo: ſingulorum foliorum pars altera gratâ viriditate lucet, altera punctulis fuſcis exaſperatur. Sapor idem cum noſtrate parùm acerbus. Hoc Adiantum Canadenſi

regioni frequentiſſimum eſt; nuſquam adeò altum prouenit. Tradunt duorum cubitorum altitudine amplius reperiri; expanſiſque brachiis tantum vmbræ parere, vt eò ſuccedere poſſent homines in æſtu, faciléque ſe ab eo huius vmbraculi præſidio tueri. Apud nos autem huius plantæ proceritas intra pedem vnum aut alterum ſubſiſtit.

Capillares herbæ omnes à radicibus quæ ex tenuibus capillamentis confibrantur nomen adeptæ ſunt: ac proinde auctores homonymia iſthæc obſcuriores reddidiſſet, niſi communis eorum conſenſus huius nominis latiorem ſenſum ad quatuor ſpecies contraxiſſet, Adiantum ſcilicet album, Adiantum nigrum, Trichomanes ſiue Polytrichon, & Aſplenium. Hanc autem plãtam ſimilitudine ducti & ſaporis & figuræ, ad Adiantum retulimus: quod nomen huic inditum ab eo quod οὐ διαίνεσθαι: quòd in aquâ non madeſcat, ſed perfuſum, merſum-ve ſicco ſemper ſimile ſit, inſtar ſcirpi apud Plautum, *qui ſemper ſeruat gloriam aritudinis.* *In Truculento.*

---

## *THLASPI LVTEVM Spanoſpermon.*

## CAPVT IV.

INTER innumeras herbæ Thlaſpi differentias, quæ ab auctoribus priſcis & recentioribus traditæ ſunt, nulla hactenus inuenta fuit multitudine

floſculorum

## THLASPI LVTEVM SPANOSPERMON.



floſculorum abundantior hac noua ſpecie, quam impręſentiarum deſcribimus: tanta enim feracitate prægnat, vt trimeſtri ſpatio pluſquam bis mille floribus ornetur, quamuis flores ſinguli diem tantum vnum durent: ac proinde meritò Thlaſpe milleflora dici poſſet. Verum quia vix vlla eſt eiuſmodi herbulæ differentia, quæ non quamplurimos flores progignat, à quibus ſemen capſulâ peltatâ inuolutum pari numero poſtmodum oriatur; maluimus à paucitate ſeminis Spanoſpermon appellare; Vix enim in tota hac plantulà quinque aut ſex ſemina reperias: Flores ſiquidem, relictis aridis cauliculis quibus appendebantur (vt hęc tabella ſedulo demonſtrat) omnes decidunt; fructuſque vnus tantummodo, aut alter ſparſim hinc inde ſpectatur, folliculi ſcilicet compreſſi & oblongi, quales ſunt Glaſti ſatiui, in quibus ſemen concluditur acri ſapore. Huic plantæ radix eſt durior multiſque fibrillis hęret, folia ſunt digitali longitudine initio, admodum anguſta, humi ſparſa, & ſubpinguia: cauliculi ſemipedales, non ſine adnatis ramulis longiuſculis & capillaribus, folijs quidem vacuis, ſed mille floſculis luteolis, quatuor foliis conſtantibus, ornatis. Sapor Subacris vulgaris inſtar Naſturtij leuiter linguam pungit.

Cæterum Thlaſpi, aut Thlaſpes nomen à ſeminis figurâ deductum eſt: ſemen enim huius plantæ eſt (vt ait Dioſcorides) *Cap. 186. lib. 2.* Δισκοειδὲς οἷον εἰ ἐντεθλασμένον, ἐξ οὗ καὶ τὸ ὄνομα ἔσχηκεν. Diſco ſimile aut, vt ait Plinius, peltarum ſpecie quaſi compreſſum, vnde

nomen. θλᾶσθαι enim contundi vel infringi ſignificat, & infringendo quod globoſum tumidúmque erat cum dilatatione exæquare.

---

## *ROSA PVNICEA.*

### CAP. V.

TANTA fuit commendatio roſarum priſcis temporibus quibus ſtrophia, ſerta, & coronæ in pretio eſſe cœperunt vt certè fatendum ſit, non modo earum multiplicem differentiam Veteres agnouiſſe; ſed & florum prope omnium, qui in coronamenta veniunt cognitionis quam maximè auidos fuiſſe: ac proindè tam accuratè Plinius Roſarum varietatem proprijs inditis nominibus expreſſit. *Cap. 4. lib. 21.* Et Dalechampius noſtris vocabulis declarare nititur: *Cap. 2. l. 2.* quas vltra Roſarum ſpecies veteribus indictam vt ait Roſam luteam addit. Nos præter eam, duas ſubiungimus, quarum mentio apud herbarios noſtros hactenus nulla fuit, Roſam ſcilicet Luteam centifoliam, & Roſam Puniceam, Prima *Roſa lutea centifolia.* foliorum tantum numero à luteâ Dalechampij diſtinguitur; nam vtraque & eodem floret tempore & eundem odorem ſpirat. Secunda ob coloris elegantiam ſummo apud nos habetur in pretio: quinque folijs conſtat intus puniceo colore ſaturatis, à tergo croceis: quæ coloris diuerſitas varium ſæpè florem reddit, lineis quibuſdam flauis per co-

lorem phœniceum ardentiſſimum diſperſis iucundiſſimo ſpectaculo. Huius Roſæ vmbilicum tenet pappus atropurpureus, mille filamentis & apicibus luteo-pallidis cinctus; capitulum flori ſubiectum rotundum eſt, vt in ſilueſtri Roſâ, folia minima ſunt, viridia, in ambitu crenata: caudex longioribus aculeis horreſcit; odorem habet veluti mellis: floret Maio. Cæterum arbitror hanc vltimam Roſæ ſpeciem, vt & luteam ſimplicem (cuius inuentionem ſibi tribuit Dalech, etiamſi Lobelius eiuſdem meminerit in ſuis aduerſarijs, eiuſque generationis modum inſinuet) quas duas hactenus herbarij ſilentio præterierunt, Scriptoribus antiquis notas fuiſſe, Puniceam enim Virgilius indicat his verſibus. *Ecloga 5.*

*Puniceis humilis quantum ſaliunca roſetis*
*Iudicio noſtro tantum tibi cedit Amyntas.*

*Cap. 4.* Columella quoq; lib. 9. de re ruſtica, vbi de paſtione apum diſſerit, & de fructibus qui flores amiciſſimos apibus creant, ſummoperè laudat vtramque hanc Roſæ ſpeciem. Punicas, inquit, Roſas Luteoláſque, & ſarranas violas, &c. Quippe quæ videlicet inter cæteras Roſarum ſpecies melleum maxime halitum ſpirent. Horatius lib. 4. Carminum.

*Nunc & qui color Puniceæ flore prior roſæ.*

## *ORIGANVM FISTVLOSVM Canadenſe.*

### CAP. VI.

FRVTICOSA & cubitalis herba è Canada nuper aduenit, quam Origanum Fiſtuloſum nominauimus: quòd tubuli floris ita ſint inter ſe compoſiti, vt quandam velut cicutis compactam Fiſtulam repræſentent. Caulibus exit quadratis, nunc anguloſis, ſubhirſutis, & ramoſis. Foliis longis, Lyſimachiæ ſiliquoſæ æmulis, dilutè virentibus, quæ ab imo ad caulis faſtigium vſque pullulant, ibique minora decem aut duodecim in orbem congeſta floris obambiunt globum, qui Scabioſæ capitulum refert (quamuis ſit latior multoque depreſſior:) mille caliculis conflatur, à quibus funduntur ordinatè diſpoſiti tubuli plures, ſemiuncialis longitudinis, coloris ex purpurâ coloſſini, bifidi extremo quo patentem rictum fingunt, vnde profluunt duo aut tria cum purpureis apicibus filamenta. Prolifera eſt, caulem enim ſæpe tranſilit caulis, qui tribus digitis à primo flore eleuatus, ſubiectis totidem foliolis, nouo floris alterius globo repullulat. Tota planta caulibus atque adeo folijs ſubincanâ lanugine pubeſcit. Efflat odorem non trita Satureiæ hortenſis. Sapor huic acerrimus, ac Hydropiperis more linguam perurens, exceptâ radice quæ ſolis contexitur fibris: hæc

# ORIGANVM FISTVLOSVM CAN.



*Monarda fistulosa. L.*

namque neſcio quo naturæ luſu, prorſus inſipida guſtanti percipitur. Floret Iulio & Auguſto menſibus: Huius vita in multos annos protrahitur. ὀρί-γανος Græcis, quaſi ὄρεον γάνος montanum gaudium dicitur.

---

## *ERVCA MAXIMA Canadenſis.*

## CAP. VII.

INTER dendrolachana hæc Eruca numerari poteſt, ſiquidem hominis proceritatem implet: potiſſimùm quando radix eius, quæ fibris albis conſtat, lętiore ſolo cohæret: ſilueſtres enim plantæ qualis hæc & Canadenſes omnes, quo leui magis & ſubactâ terrâ differuntur, eo maius incrementum capiunt. Numeroſis caulibus adoleſcit, rotundis, & tomento quodam aſperiori veſtitis, quod vndique folia exornant vti Lyſimachiæ, longa, acuta, in ambitu crenis inæqualibus ſerrata, tenui lanugine obſita; guſtu ſubacida initio, tandem ſubacri: vt conſuetum Erucis omnibus. Floſculi in cymis mirâ fœcunditate luxuriant, Iunio ac Iulio menſibus; Lutei ſunt illi, quatuor foliis conſtantes, in quorum medio ſtaminula quatuor & piſtillum hæret, quod collapſo poſtmodum flore, in ſiliquam efformatur longiuſculam, rectam, & ſeminibus turgentem exiguis, ſapore dulcibus, maturis Auguſto,

Septembri deciduis. Ad Veneris oblectamenta præcipuis.

Εὔζωμον Græcis dicitur quod iura commendet habeatque peculiarem in eis gratiam. Huius enim mira eſt in condiendis obſoniis ſuauitas vt ait Plinius. Latinis, vt exiſtimat Ruellius, Eruca ab erodendo, aut ab vrendo dicta. Beſtiolas enim innaſcentes corpori erodit, & ſi eam deguſtaueris, os & linguam ſatis acriter vellicat: aut certè his plantis Erucæ nomen inditum ab Erucis, quæ Κάμπαι Græcis dicuntur, non tamen ob inhæſionem vt exiſtimat Apuleius, ſed quod hæc inſecta ſuo decurſu ſinuoſum quendam gyrum formant, Erucæ herbæ lacinias foliorum apprimè referentem.

## *DE VALERIANA.*

### CAP. VIII.

PHV Græcorum, Latinis Nardum Silueſtre, ab Italis primùm Valeriana dictum fuit; quod nomen deductum credit Dalechampius, ab innumeris quibus præditum eſt facultatibus. non modo enim ex Dioſc. δύναται οὖρα κινεῖν, καὶ πρὸς πλευρᾶς πόνον, ἔμμηνά τε ἄγειν, ciere vrinas poteſt, lateris dolorem mulcere, & deducere menſtrua, ſed ex Gal. hæc herba eſt τῇ Νάρδῳ παραπλησία τὴν δύναμιν, quaſi diceret vt habetur libro octauo de med. ſimpl. fac. δήξεις ἰᾶται στομάχου, καὶ τὰ κατὰ τὴν γαστέρα, καὶ τὰ ἐντέρων ῥεύματα

## ~~DE VALERIANA.~~

Eruca maxima Canadenſis



ῥεύματα ξηραίνει, ἔτι καὶ τὰ κατὰ τὴν κεφαλὴν, καὶ τὸν θώρακα, sanat ſtomachi morſus, humorumque in ventriculum, inteſtina, caput, aut thoracem decubitus ſiccat. Quin & Platearius eandem commendat in ſtranguria & diſuria, in cruditatibus ventriculi à frigida cauſa, aut flatu ortis, tuſſientibus & ſuſpirioſis, in ſuperfluitate matricis, vt loquitur, ſiccandâ, in liberandis viſcerum obſtructionibus, idem teſtatur Plinius: Dalechampius addit virentem plantam cum radicibus capiti dolenti admotam, eius dolores mulcere, oculorum vitia inſtillatam emẽdare, potionibus mixtam ſummo vulneribus eſſe remedio. Matthiolus ad venenatorum ictus laudat, ſi cum vino bibatur. Aduerſus peſtilentiam non modo pota, ſed etiam olfacta prodeſt, vtpote cuius radix ſummopere ſit ἀρωματώδης.

*Cap. 20. lib. 21.*

Plurimæ verò extant apud Herbarios Valerianæ ſpecies, quibus Phu veterum nullatenus deſcriptio quadret, quales ſunt 7. à D. viro Bauhino propoſitæ in prodromo, niſi forte in quantum inter eas nonnullarum ſit radix odoris particeps, ſed flos nequaquam eſt Narciſſi, nec caulis τρυφερός, nec folia Hippoſelini aut Elaphoboſci: ac proinde vt arbitror, legitimum Phu Dioſcoridis à nemine hactenus certò cognitum fuit: nam id quod hoc nomine circũfertur, neſcio quo iure hoc ſibi nomen vendicarit, cum flores Narciſſo proximos nullatenus habeat, ſiue figuram, ſiue amplitudinem, aut etiam mollitiem ſpectes. Conſtat enim Valerianam noſtratem vt omnium herbarum flores tenuitate ſu-

*Cap. 27. lib. 4.*

perat, ita & mollitie Narciſſi floribus longè inferiorem eſſe, & nihiloſeciusNarciſſi flores imitari, quam vitis, Ad cuius flores nihil in figurâ propius accedere poteſt; Deinde nuſquam Dioſcorides in deſcriptione florum huius plantæ, meminit vmbellæ, aut muſcarij. Quod etiam aduertit Matthiol. Taceo preterea caulem, quem nemo vnquam ἐμπόρφυρον obſeruauit. Quod enim benignè legendus ſit Dioſcor. & quod Typographorum incuriâ irrepſerit hoc mendum μείζωνα, cuius loco ἥσσονα ſubſtituẽdum teſtentur viri doctiſſ. Matthiolus, Ruellius noſter, & alij, id certè tolerandum foret, ſi cætera conſentirent. Facile concedo Valerianæ radicem eaſdem vires, eumdemque obtinere odorem, quem ſuo Phu Dioſc. tribuit: non ideò tamen quiſquam enuntiarit Valerianam eſſe Phu genuinum Dioſc. cognationes enim eiuſmodi, quamplurimos decepiſſe teſtatur ipſe Dioſc. πόλλοι πλάνονται ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν ὀσμὴν ἐμφερείας, πολλὰ γὰρ ἐστιν ὅμοια τῇ ὀσμῇ Νάρδῳ, ὡς τὸ φοῦ, ἄσαρον, νῆρις. οὐκ ἔχει δὲ οὕτως grauiter errant plerique, in eiuſmodi odorum cognatione, multa namque Nardo ſunt odore ſimilia, quemadmodum Phu, Aſarum, Neris, longe verò aliter ſe habent: quapropter non vera cenſeri debent, poſſunt tamen in medendi vſu in genuinorum locum ſuffici. Sed non ita ſtrictè recentiores, hi enim nullâ niſi radicis habita ratione, in tantum Valerianæ ſpecies multiplicarunt, vt nulla prope ſit odorata radix, cuius plantam illico Valerianæ nomine non inſigniant, imò vero multæ eo nomi-

*Cap. 11. lib. 1. de Malabathro.*

ne dotantur, quod nomen vndè adeptæ ſint, ipſimet auctores ignorant; vt in Valeriana Græca accidit. Satis itaque fuerit, pauca hæc quaſi ἐξ ἐπιδρομῆς præmonuiſſe, alias ſi Deus dederit, fortè accuratius rem ipſam examinabimus.

Interim duo noua Valerianæ genera publico palam facimus, quorum hiſtoria hactenus auctores omnes latuit, hæcque ipſa ex eâ Americæ parte quæ Canada nominatur aducta ſunt; Quod flore eſt violaceo, vna cum flore interijt: alterum etiam in horto noſtro ſuperat.

---

## *VALERIANA VRTICÆFOLIA flore albo.*

## CAP. IX.

HVIC plantæ radix, vt Aſaro fibroſa, non altè deſcendit, ſed in ſummo terræ leuiter hæret, adeoque eſt apricationis auida, vt ſæpius nudet ſupra terram fibras, quæ ſaporis & odoris gratiam Nardo non inferiorem obtinent, Valerianâ vulgari longè nobiliorem, ſi enim diutius in ore dentibus prematur, mira ſuauitate halitum commendat, linguamq; poſtremò vt Cinnamomum acriter pungit. Pluribus ſurculis aſſurgit rotundis, cauis, geniculatis, glabris, longitudinis vltra cubitum, hi in plures alas diuiduntur. Folia ex aduerſo bina ſemper, ab radice ad ſummum vſque caulis faſti-

## VALERIANA VRTICÆ FOLIA FLORE ALB.



Eupatorium ageratoides Lin.

gium naſcuntur, referuntque Scrophulariæ aut Vrticæ maioris folia, minimè tamen pungunt & dilutiſſimè virent: cuiuſque caulis apex in muſcarium ſpargitur, floribus ornatum paruis, inodoris, Valerianæ ſimilibus, ſed ex vno calice pluribus. Poſt ἐξαίϑησιν ſemina longiuſcula tenui pappo hærentia in auras abeunt. Floret Septembri. Hyeme, ſola radix ſuperſtes viuit, reliqua pereunt. In eo planta hæc à Valerianâ vulgari diſcrepat, quod ſit illa ſempiterno folio, huius vero folia hyemem non ſuſtinent.

---

## *VALERIANA VRTICÆFOLIA flore violaceo.*

## CAPVT X.

HÆc Planta & viribus, & ipſo aſpectu eſt præcedenti ſimillima: in hoc tantum diſtinguitur, quòd & folia paulo altius diuiſa ſint, & flores qui magis ad Ocymaſtrum Valeriantum accedunt, eleganti violaceo colore maximè commendentur. Superiore anno in cultiſſimo Veſpaſiani Robini Botanici Regij horto vigebat: Huius ſatis fuerit iconem ad viuum expreſſum citra hiſtoriam dare.

## VALERIANA VRTICÆFOLIA FLOR. VIOL.



## *ASARON CANADENSE.*

## CAPVT XI.

EX confinio Valerianæ Aſaron inuehitur (colles quippè pariter amat, vmbroſiſque maximè lætatur.) Huius facies, vt dicetur, à noſtrate partium amplitudine potius, quàm viribus diſtat. Mox vbi bruma confecta eſt, apud nos ſuprà terram emergit, ſine caule, folijs hederaceis, mollioribus: non circinatæ rotunditatis, non conuolutis in ſe, nec ſplendidis: ſed expanſis, & in mucronem deſinentibus, adiectâque minutâ cæſarie hirſutis. Foliorum pediculi vitiles, florumque cytini pari lanugine pubeſcunt. Pro flore, ab radice prodeunt caliculi plures, quorum viridis color langueſcit: dum hiant ſinguli in tres cultratos velut mucrones diſſecantur, qui non intrò flectuntur, ſed in exteriora inuertuntur: cuiuſque floris cauitate deliteſcit ſemen acinoſum, mordens guſtu, feruenſque in ore. Radix carnoſa viuaxque, terram obliquè perreptat, ab eâ longiores fibræ profluunt ſuauiſſimi odoris, Acoro ſimilis, intenſioriſque: Hæ ſingularem vino gratiam adijciunt, ſi pinſitæ, linteique nodulo incluſæ, in cadum muſti colentur, cum ponduſculo vt ſidant, trimeſtriq; ſpatio macerentur ante vſum. Hæc eadem radix mandentium halitus ſuauiter inodorat. In vſus quoque ſalutis humanæ verti poteſt,

# ASARON CANADENSE.



Aſarum Canadense

L.

*Cap. 13. lib. 22.* vt vulgare, (quod Nardi vim habet, ipſumque ab aliquibus Nardum ſilueſtre aut ruſticum ex Plinio appellatur) ſeu quibus aluus vuidior diſtenditur, aut quibus fuerit gelidus humor Iſchiadi impreſſus moleſtus acerbitate doloris, nullum deducendis vrinis aut liquandis humoribus aptius Aſaro *Lib. 8. de com. Med. ſec. locos cap. 3.* remedium obſeruauit Galenus. In Tertianis febribus, quarum contumacia prçſidijs generalibus confici nequit, cum rigor inceſſerit, geminâ cochleari *Meſues li. 2. cap. 22.* menſurâ ſuccus huius herbæ ex vino albo bibitur, felici ſucceſſu. Vtramque enim bilem & pituitam ſuſque deque, veratri modo, expurgat.

*Lib. 21. c. 6.* Aſaron, inquit Plinius, audio vocitari, quoniam in coronas non addatur. Sed cum Dioſcor. Aſaron dicat, πόαν ςεφανωματικὴν, vt vtriuſque ſententia concilietur, malim dici Aſaron, quod in ſcopas non addatur, ſiue ſint luſtrales verrendis Deorum aris, vt cenſet Lobelius in ſuis aduerſarijs, ſiue manuales *Ruellius c. 20. lib. 1.* illæ ſint, quas odoris gratia geſtant, ex Amaraco, Thymo, Serpillo, & alijs odoratis, quibus Aſaron inſeri minime ſit ſolitum.

---

## *DE POLYGONATO.*

## CAP. XII.

POLYGONATVM quod à radice nomen traxit crebris articulatâ geniculis, veteribus quidem vnicum innotuit, at recentioribus omninò multi-

plex eſt & varium. Dodonæus, Fuchſius, Dalechampius marem πλατύφυλλον & fœminam anguſto folio agnouerunt. Lobelius tria aſſerit in ſuis obſeruationibus Polygonati genera, ſuperiora duo vulgaria, & tertium Tragi. Camerarius Maris duplicem differentiam facit, alterum baccas nigras, rubras alterum, aut purpureas profert; Cluſius ſex enumerauit, quatuor nimirum nouas ſpecies à ſe vno deſcriptas, & vulgares duas ab omnibus cognitas. Has omnes Polygonati ſpecies additâ vnâ à ſe inuentâ, quam in prodromo deſcripſit doctiſſimus Bauhinus, herculeo penitus labore in nouem claſſes diſtribuit in ſuo phytopinace. In vniuerſum itaque nouem differentiæ Polygonati ex auctorum ſcriptis eruuntur. Quibus ſubiungemus quinque hactenus incognitas, quæ ex noua Francia, & Virginia prodierunt. Prius autem non alienum fuerit ſi Polygonati deſcriptionem à Dioſcoride allatam examinauerimus. Dioſcorides Polygonatum ait fruticem eſſe cubito altiorem, foliis lauri latioribus & læuioribus, ſapore mali Cotonei aut Punici, qui flores per ſingulas foliorum ἐκφύσεις promit candidos, folijs numeroſiores, inceptâ ab radice ſupputatione; qui radicem habet albam, mollem, longam πολυγόνατον καὶ βαρύοσμον. Hanc deſcriptionem vulgari Polygonato conuenire, vt nemo ambigit, ita & mancam eſſe nemo non videt: Ad perfectam ergo fruticis huius notitiam cuiuis deſcriptionis particulæ adijciendum nonnihil eſſe videtur. Quod ad caulem ſpe-

ctat, Polygonato vnicus eſt, & non brachiatus ramis, nec rectà, ſed obliquè aſſurgere ſolet. Folia quidem obtinet aliquatenus lauro ſimilia, latiora tamen & leuiora multo: ſed neruis multis referta, quæ vtrimque in extremo folij coeunt, vt in Epipactide, aut Plantagine. Superiore etiam parte viridia ſunt, infra vero incana: Et ad latera caulis hinc inde diſpoſita alarum inſtar prominent: Pro flore tubulus eſt lacteus, caulis petiolis multiplex appenſus, extremâ qua hiat parte vireſcens, atque in quatuor aut quinque breues lacinias diuiſus. Excuſſo flore ſuccedunt baccæ virides per maturitatem nigræ, in quibus 3. aut 4. ſemina alba continentur. Polygonatum, quod ad radicem attinet non eſt βαθύρριζον, vt pleræque ſtirpes, ſed Polypodij more per tranſuerſum obliquè progreditur. Hæc omnia Dioſcorides non expreſſit, ſeu quod trita nimis, & cognita planta foret, ſeu quod per hæc quæ obmiſit ſupplementa, ſubſtitutas ac ſuccenturiatas Polygonati ſpecies complecti eius eſſet conſilium. Seu etiam fortaſſe quod aliam plantam à vulgari noſtro Polygonato deſcribat, in qua videlicet proxime iuxta radicem flores oriantur ad ſupputationem. Quod in noſtro Polygonato non accidit, in quo caulis ferè ad vſque palmi altitudinem folijs & floribus caret.

Plinius Polygonatum credit eſſe Polygoni ſpeciem quam Latini ſanguinariam vocant, appellarique à multitudine ſeminis aut denſitate fruticis Calligonon. Alij, inquit, Polygonatum à frequentia

geniculorum, alij Teuthalida, alij Carcinethrum, alij Clema, multi Myrtopetalon. D. Goupylus poſtrema hæc nomina inter adulterina ſynonyma Dioſcoridis, vt & alia quoque plurima recenſuit, quæ nihil ad huius Polygonati notitiam conferunt. Quicquid ſit, conſtat apud omnes auctores hoc Dioſcoridis Polygonatum eſſe, id quod mas vulgò I.
nominatur, cuius quidem Camerarius ſpeciem vi- II.
dit baccis rubris aut purpuraſcentibus. Tragus tertium Polygonati genus proponit, quod non aliud eſt, quam quod herbarij Ocymoides vocant, non- III.
nulli Papauer ſpumeum, Monſpellienſes Behen album. Cluſius marem facit ramoſum, & non ramoſum: Poſterioris tres affert ſpecies, quarum prima vulgare Polygonatum eſt. Secunda caulem pedalem tantum profert ſtriatum (nec exactè rotundum, IV.
ſed modice in latitudinem compreſſum, folia obtuſiora & rotundiora vulgari.) huic ex ſingulis alarum ſinubus exeunt flores ſingulis magna ex parte petiolis inhærentes, vulgari maiores & odoratiores, reliquis à præcedenti non differt. Tertia ſpecies V.
magnitudine plurimùm ſuperiores excedit, huius quippè folia Hellebori albi foliorum amplitudinem nonnumquam aſſequuntur. Creſcit in Siluis ſupra Viennam Auſtriæ. Ramoſum Polygona-
tùm vnum à Cluſio deſcribitur, cuius verba hîc af- VI.
fero eo lubentius quod diſcrimen inter illud, & alia quæ à me poſthac deſcribentur faciliùs hac ratione cuiuis innoteſcere poſſit. Quarti latifolij cau- „
lis pedalis eſt, nonnumquam cubitalis aut amplior „

» rotundus, incuruus vulgaris inſtar: in vnum aut al-
» terum, interdum etiam tertium ramum diuiſus,
» quem alternatim perfoliatæ vulgaris ferè inſtar
» amplectuntur folia Polygonati folijs ſimilia, molliora, ſaporis initio dulcis, deindè ſaliuam cientis & nonnihil acris: ad ſingulorum foliorũ exortum, ſub ipſis folijs atque adeò ad illorum latus eadem ſeriè exeunt ſingulares petioli longi, exiles, incurui, ex quibus flores propendent ſingulares concaui, Oenanthes, ſiue lilij conuallium floribus perſimiles, ſed magis hiantes, atque in ſex lacinias extrorſum reflexas diuiſi, interiore parte nigricantibus quibuſdam maculis aſperſi; odorati. Fructus trigonus viridis initio per maturitatem rubeſcens.

VII. Bauhinus Braſilianum Polygonatum latifolium & perfoliatum alterum in prodromo deſcripſit, quod florum amplitudine plurimùm à ſuperiore differt: flos enim quinque folijs ſeparatis ab inuicem Narciſſo minori autumnali ſimilibus & æqualibus, ſed albis conſtat. Semen non vidit, quod credibile eſt, capſulâ trigonâ concipi.

Iam vero vt quæ latifolia maris nomen ſortiuntur, ita & quæ anguſtifolia fœmineum ſexum præ ſe ferunt: cuius generis duæ ſpecies cognitæ ſunt.

VIII. Prima caulem rotundum habet, qui folijs anguſtis aſperulæ modo per interualla cingitur: fructus ex interſtitio foliorum oblongus & ruber, baccarum Berberis forma & magnitudine in orbem prodit.

*Cap. 13. lib. 25.* hæc eſſe videtur planta, quam Plinius ſub nomine ephemeri expreſſit.

Alterum Polygonatum anguſtifolium Cluſij IX.
caulem habet cubitalem, anguloſum, in multas tenues alas diuiſum folijs quam maxime anguſtis & longis obſitum: flores præcedenti ſimiles inter folia naſcuntur; quibus ſuccedunt baccæ rubræ; ſed exactè rotundæ: radix candida nodoſa. Hactenus quæ de Polygonato eiuſque differentijs auctores ante nos tradiderunt, nunc quinque nouas ſpecies ex America allatas breuiter deſcribemus.

---

## *POLYGONATVM SPICATVM ſterile.*

### CAP. XIII.

POLYGONATVM ſpicatum ſterile à natali ſo- X.
lo Virginianum dici poteſt; radice conſtat alba ex longis interuallis geniculatâ, quæ Lilij quod conuallium vocant, inſtar repit. Maio menſe cauliculus pedalis aſſurgit, è cuius vtroque latere folia exeunt inæquali ſitu diſpoſita vulgaris facie, acutiora tamen, pinguiora & minus neruoſa, imò nec ſubtus incana, ſed gratâ & pellucida viriditate vtrinque micantia. Flos neutiquam ex alarum ſinu prodit, vt in cognitis alijs Polygonati differentijs, ſed ſummum caulis apicem occupat, ibique plurimus ſpicatim aggeritur, vnuſquiſque proprio petiolo in caulis faſtigium deſinente ſuſtinetur. Flos exiguus eſt, & quinque aut ſex albis foliolis com-

## POLYGONATVM SPICATVM STERILE.



componitur, hæc dum explicant ſeſe, aſteriſci effigiem ſignant, filamenta quoque tenuia eiuſmodi foliis interſeruntur. Floret eodem menſe. Iulio ſtatim quicquid floris eſt veluti marcidum fluit, ſicque vniuerſa planta ſterileſcit.

---

## *POLYGONATVM SPICATVM fertile.*

## CAPVT XIIII.

SECVNDA hæc Polygonati ſpecies figurâ & ſi- XI.
tu foliorum, teretis, glabrique cauliculi proceritate, nullatenus à proximè allata diſtinguitur. Radix alba (numquam ipſo caule vaſtior) per tranſuerſum fertur, raro admodum capillitio, & quâ geniculus ipſam diſcriminat, nouum μόσχευμα prodit. Flos ſupremis cauliculi folijs ab exortu abditus deliteſcit, nec ante apparet, quam illa ab inuicem diducantur: Tumque plures albi floſculi caulis faſtigio circumpoſiti ſpicam efformant: Singuli quinque aut ſex foliolis conſtant, ſimilis cum ſuperiori Polygonato figuræ. Excuſſo flore globuli tenues ſuccedunt, qui ſenſim eam magnitudinem aſſequuntur, quam in ſeparato folio appingi curaui. Baccas iſtas ſubrotundas excurrentes lineæ plurimùm commendant. Sex enim nigræ æquis interuallis vtrimque in puncto velut in polo ſeſe interſecantes, ſingulas baccas, albidas initio, ſeparant,

# POLYGONATVM SPICATVM FERTILE.



*Convallia stellata L.*

velut ſphæram Meridionales circuli, pari naturæ ingenio ac ſi Geometra compoſuiſſet. Hæ baccæ non mediocrem ſubeunt maturitate mutationem, ſenſim enim rufeſcunt, donec omninò rubeant, ac tum temporis ſignaturæ linearum penitus obliterantur. Ægrè admodum guſtatur, faſtidioſum enim ſaporem obtinet, qui ferè ex dulci in amarum deſinit, Solani lignoſi more, quod eapropter γλυκύπικρον vocauerunt.

Ex America allatum, vigilanti D. Veſpaſiani Robini culturâ, incolume iam ab aliquot annis ſeruatur.

Obſeruabis interim, floſculorum ocellos orbiculares expreſſiſſe chalcographum, cùm paululum in longitudinem extendantur.

# POLYGONATVM RACEMOSVM. CAPVT XV.

XII. AB eâ quam fructus huius repræſentat Vuæ ſimilitudine racemoſum Polygonatum nominauimus. Hoc radice firmatur craſſa ſubalbida, pluribus internodijs extuberatâ, nec paucioribus capillatâ fibris. Caule aliquādo ſimplici nonnumquam etiam, ſed raro, duplici (vt hic appingi curaui) eoq; rotundo atque atropurpurante in duo cubita eleuatur. Folia habet latiſſimè expanſa. Nerui (quos in plantis ἶνας Græci vocant) ſimili atque in Plantagine ordine, per eorum latitudinem diſcurrunt: varij coloris, nunc purpurei, nunc atrouiridis. Vt autem folium quam in aliis ſpeciebus durius & nigrius eſt: ita & eius ambitus rugoſior, lineâ obſcuriore clauditur. In apice caulis, vuæ floridæ ſimulachrum apparet. Mollia filamenta dilute pallentia, floſculorum loco petiolis inſident, ferè vigent octiduò, quo elapſo, ſuccedunt acini rotundi, baccarum Iuniperi magnitudine, eximiam vuam componentes: flaueſcunt hi per initia, & mille notis, quaſi ſanguineis interpunguntur, longè vero poſtea maturitatem adepti, euaneſcentibus maculis iſtis, toti in Ceraſorum ruborem tranſeunt. Eorum pulpa dulci ſapore linguam afficit, ſeminaque alba continet ſubrotunda, quibus ſatis, vel leuiſſimâ adhibitâ operâ planta hæc facillimè pullulat.

# POLYGONATVM RACEMOSVM.



Convallaria racemosa

L.

## *POLYGONATVM RAMOSVM flore luteo maius.*

## CAPVT XV.

XIII. HVIC Polygonato ſtatim gracilis in exortu caulis, teres, & glaber palmarem ferè longitudinem aſſequitur, mox in duos ramos diducitur, quorum ſinguli in plures poſtea diuiſi, cubitalem ſæpe longitudinem ſuperant. Folia caulem peruio vtrimq; ductu ita excipiunt, vt perfoliatæ ad inſtar medium penitus obuallent: quia hæc ſunt, oblonga, venoſa, & extremâ parte obtuſa, pallidiſſiméque virent. E ſupremo cauliculorum apice, & ipſorum etiam foliorum ſinubus, incuruo deorſumque nutante pediculo flos luteus propendet, ſex anguſtis, ſed longioribus foliis compoſitus, quæ vt in Tuliparum genere fieri ſolet, ſeparatim diuiduntur. In interna floris parte ſiliquæ rudimentum, cum adnatis corniculis, ſexque longa ſubluteaque ſtamina delitеſcunt (quæ cùm integro flore conſpicere non ſit facultas, ſeparatim delineari iuſſi.) Cum defloruit, pediculus ſurſum flectitur. Semen albidum ſiliquâ coriacia, initio viridi, deinde furuâ triangulariſque formæ concluditur. Radix non adeò craſſa eſt, nec adeò candida atque præcedentium, ſed ſola fibrarum copia denſius contexta capillatur, nec proinde latius graditur, vt ſuperiorum. Floret ineunte Iunio. Iulio ſemina perficiuntur,

POLYG. RAM. FLORE LVTEO MAIVS.



Uvularia perfoliata L.

quo tempore ſiliqua reſeratis commiſſuris trifariam hiat, vt concepto ſemini exitum pateſaciat.

## *POLYGONATVM RAMOSVM flore luteo minus.*

## CAP. XVII.

XIIII. ADEO præcedenti Polygonato ſimile hoc eſt, vt ſeparata hiſtoria non indigeat: cùm ſolâ ferè foliorum figurâ ab eo deflectat, quippe quæ & anguſtiora multò & longiora ſint, ac etiam in mucronem deſinant acutiſſimum. Flore quoque nonnihil variat, multò pallidiore, cætera prorſus ſimile.

Hanc poſtremam Polygonati differentiam, vt & præcedentes ex noua Francia accepimus.

*POLYGO-*

POLYG. RAMOS. FLORE LVTEO MINVS.



*Ovularia lanceolata*

Hort: Kew: p.434.

# DE HEDYSARO.

## CAP. XVIII.

*Lib 3. c 66.* QVAM herbarij fabam lupinam, alij herbam, vulgóque grauam (quòd, vt arbitratur Ruellius, tritico, hordeo, cæteriſque frugibus, cum quibus alitur, ſuo complexu grauis ſit & moleſta:) hanc *Lib. 3. cap. 146.* Dioſcorides ἡδύσαρον à ſuauitate odoris, & totius plātæ figurâ nominauit; quaſi quis diceret ſcopas odoratas: frutex enim eſt ab vna radice flagellis multis emicans. Vnguentarij πελεκῖνον, vt & Latini Securidacam vocauere: quamuis Turnebo Securiclatæ potius nomen arrideat, quaſi ſecuriculatæ; hoc eſt à ſimilitudine ſecuris, quæ πέλεκυς græcis dicitur. Hedyſaton enim λοβοὺς φέρει κερατίοις ἐοικότας, ἐν οἷς τὸ σπέρμα πυῤῥὸν καὶ ἀμφίστομον ὅμοιον πελέκει· folliculos *Ruellius.* ſpargit modo Corniculorum aduncos, ſemen complectentes ancipitis ſecuriculæ figura. Quanquam non ita ſtrictè recentiores, qui Hedyſari ſpecies multiplicarunt: Hi enim nunc à ſiliquâ falcatâ, nunc à ſemine ſecuriculato, nunc verò à foliorum Ciceris inciſa facie, argumentum ſuæ nomenclaturæ ſumpſerunt. Sicque Dodonæus à foliis duplicem *Cap. 13. lib. 3. pempt 4.* attulit differentiam, maius & minus: vtrumque foliis ciceris, maioris ſiliquæ ſunt compreſſæ, minoris rotundæ & incuruæ. Dalechampius à ſiliquis, nulla Ciceris foliorum habita ratione, minimum He-

dyſarum deſcripſit. Illudque trifolij pratenſis foliis. Lobelius à ſeminis figurâ Hedyſarum clypeatum deſcripſit, quod florum colore, & ſiliquis à ſuperioribus longiſſimè abeſt : huius enim flores ſunt Geniſtæ amplitudine, ſaturo coccino rubentes. Siliquæ non aduncæ, ſed ex orbiculatis loculis aſperrimis compoſitæ, in quibus ſemina geniſtæ. Cluſius Dodonæum imitatus, figuræ foliorum ciceris penitus adhęrens, Securidacam peregrinam capiti 48. lib. 6 inſeruit. Hæc ſiliquas planas vtrinque dentatas vncialis longitudinis ſummo fert caulium faſtigio; hanc Cortuſus ſcolopendriam leguminoſam nominauit.

*Cap. 46. li. 2. de plant. exot.*

Proſper Alpinus à Corniculis, non autem à ſemine amphiſtomo elegantem in Creta Inſula Hedyſari ſpeciem reperit, quam Hedyſarum argenteum nominat, à floribus candidis trifolio proximis, apicem cauliculorum occupantibus egregia facta vmbellâ, quibus cornicula ſuccedunt, in quibus ſemina rotunda. Hæc planta folia ciceris obtinet, quibus ne ipſa hyeme quidem ſe expoliat.

*Bauhinus.*

Inter dumeta duplex Hedyſarum creſcit, quod quidem ſiliquas profert articulatas: alterum purpuraſcit quod à Camerario ſcorpiuron vocatur. Alterũ pallide cœrulei coloris eſt: ad quas differentias cum clypeatum Lobelij referatur; non incõmodè etiam his Canadenſe Hedyſarum triphyllum adſcribetur, quandoquidem cum precedente plurimum affinitatis habere videtur. Nam floribus & ſiliquis aſperioribus, non per loculos clypeiformes, ſed ſecuris

Hedyſarũ noſtrum.

ancipitis effigie ſeriatim articulatos, Lobelij Hedyſarum refert: accedit & florum & ſeminum maturationis tempus idem.

---

## *HEDYSARVM TRIPHYLLVM Canadenſe.*

### CAPVT XIX.

HVIVS altitudo in frigidis locis duorum fere cubitorum eſt, in apricis in vnum tantum erigitur. Caulis numeroſus ab radice pullulat, anguloſus ac medulloſus: fibris ille multis ſtriatur, aliis virentibus, aliis pallentibus, aliis rubentibus: Mediâ caniculâ ſpicatim flores prodeũt Hedyſari legitimi facie, ampliores multò: horum ſuperiora folia ſaturatius rubeſcunt, laterum alæ & ſubiecta carina dilutius ac pallidius rubet: ſiliqua per floris marcidi cẽtrum oritur, falcatim per internodia diſcriminata, aſperrima, quæ lineis ſuprà & infrà rubentibus clauditur. Radice nititur fibroſâ, ſubnigrâ, maxime viuaci. Aprili pullulant folia, initio quidem rubentia, quæ tandem atrouireſcunt, & trifolij aſphaltitis more diuiduntur. Tota planta inodora eſt, ac proinde perperam ab aliquibus trifolium aſphaltites Canadenſe creditur. Miſſa fuit ſub nomine Galegæ Americanæ, quo autem argumento, in materia ſtirpium verſatis iudicandum relinquo. Satius duxi ad Hedyſari articulatâ ſiliquâ claſſem re-

## HEDYSARVM TRIPHYLL. CANADENSE.



F iij

Hedysarum Canadense L.

ferre. Medijs enim in ſiluis naſcitur in America Septentrionali, ad noſque ex noua Francia miſſi ſunt eius loculi ſecuriculæ inſtar, in quibus ſemen geniſtæ concipitur.

Sapor virenti non ita conſpicuus, ſiccatæ ſubacris: atque ita calidam in primo, ſiccamque in ſecundo gradu eſſe arbitramur, cum aliqua peculiari purgandi facultate, eius periculo à me facto. Purgantium enim potiuncularum decoctis addita vnc. vnius pondere, catharticorum vim promouet, non tenues ac ſeroſos ſolum; ſed viſcidiores etiam humores educendo. Incocta atque appoſita, frigidiorum tumorum concoctioni maxime conducit.

---

## *BVGVLA ODORATA Luſitanica.*

### CAPVT XX.

INSIGNIS hæc Bugulæ ſpecies annua eſt, & ſatu quotannis prouenit; radicem habet nigro capillitio fibroſam, nequaquam humi repentem: ab hac ſuccreſcunt quatuor aut quinque cauliculi rotundi, hirſuti, geniculati quâ parte folia exeunt: quæ folia longa ſunt, hirſuta, atrouirentia, duabus aut tribus laciniis recuruum dentē referentibus vtrimq; diuiſa: quò autē inferiora ſunt ac terræ propiora, eò ampliora; quò remotiora eò breuiora, & anguſtiora, vt ferè tandem capillari tenuitate appareant iis

# BVGVLA ODORATA LVSITANICA.



in partibus, in quibus floribus interpoſita ſunt. Flores enim inter foliola caulem à medio fere ad apicem vſque quaſi verticillatim ambiunt, & intermediis foliolis illis, obducto veluti ſepimento muniuntur. Flores ſunt violacei coloris, in tubulum efformati, cuius extremum alterum ab exiguis calycibus prodit: alterum vt in Bugulâ noſtrate, dū hiat rictum quendam mētitur. Decuſſo flore (quod circa Auguſtum menſem accidere ſolet,) Calyculus ſeminibus albis turget, quæ nouam ſequente anno progeniem ſubminiſtrant. Seritur menſe Martio. Tota planta odoratiſſima eſt, iucundiſſimiq; aſpectus; Et apud nos proceritate vix pedem implet, quanquam in Luſitania vnde eam habuimus, longè elatiorem eſſe acceperimus. Huius etiam mira vis eſt, ſi cum cæteris ſpeciebus addatur potionibus vulnerariis.

---

## *CYCLAMINVM ORIENTALE.*
### *Katmer Bouhour Turcarum.*

## CAPVT XXI.

CYCLAMINVM Conſtantinopoli allatum opera & ſtudio diligentiſſimi herbarij Domini Bachelier, in hortis noſtris publicis iam ſatis vulgatum eſt: præter enim largam huius plantæ copiam, quam poſtrema nauigatione conquiſiuit, non inerti opera ſeminibus iactis huius etiam propaga-

tioni

CYCLAMINVM ORIENTALE.



tioni conſulens auctionem plurimam fecit.

Hoc Cyclaminum pro radice cortice nigro obductum tuber habet ampliſſimum, quod infra ſupraque mediocriter ſubſidit, vt Rapum: huius media ferè parte vulgari ſimiles, ſed longiores extant pediculi teretes, carnei coloris, quorum alij folijs, floribus ornantur alij: eodem enim momento ambo pullulant. Folium ederaceum eſt, nec anguloſum, in ambitu tenuiſſimè ſerratur, illud atro-purpuraſcit à terra, ſuperne pingitur diuerſa viriditate, in quâ etiam albicant maculæ. Flos è calice quinque foliolis compoſito exit: Varietas in eo multiplex eſt, ferè quadruplex apud nos obſeruatur: nunc quippè foliis quinque tantum conſtat flos (aliàs purè candidus, aliàs [a] coloſſinus, & imâ parte elegantiſſimè purpuraſcens.) Nunc foliorum numerus duplicatur, (quorum duplex quoque eſt differentia, aut enim flos iſte totus albus eſt, aut huius pars infima purpureo colore fimbriatur.) Folia hæc longiora ſunt multo & anguſtiora noſtratium: initio quidem dum è calice erumpunt ſimul intorta deorſum nutant, nec multo poſt latius diffuſa ſurſum reflectuntur, ac veluti corollam formant, cui cauum odoratiſſimum ſubeſt, à quo ſingula folia profluunt: nec enim vnum ſeorſim decidere poteſt, quin & vniuerſa concidant. In eodem cauo quinque apices ſubatri, æquali interuallo diſiuncti apparent, eidem cauo ita agglutinantur vix vt ab eo diuelli queant. Statim atq; flos decidit, pediculi in ſpiram ſerpentium more conuoluun-

tur, & ſemen progignunt rotundâ capſula incluſum. Floret Aprili. Semina Iulio matureſcũt, & ferè quod anni reliquum eſt, foliis deſtituitur.

Cyclaminos Græce dicta à quodam qui Κύκλος vocatus eſt, qui primus virtutem huius herbæ inuenit. Vel quod talis herba habeat radicem rotundam, Græci enim Κύκλον rotundum vocant. Huius radicis ſuccus vino admixtus ebrios facit. *Iſidor. orig. lib.17.c.9.*

[a] *Coloſſinus color à Coloſſis Troadis vrbe, in qua lanæ tingebantur coloris elegantioris, apprimè florem Cyclamini referentis, qui color inter candorem & purpuram medius eſt.*

---

## DE ARVNDINE.

### CAPVT XXII.

VT eſt in ijs, quæ ad vſus hominum ſpectant, natura liberalis: ita & in ijs quæ ad vitæ neceſſitatem pertinent, aut ſenſum oblectationi conferunt, longè profuſior eſſe ſolet: vt-pote quæ ſingulis animantium ſenſibus pari diligentia conſulat. Nec magis eſt varietatis ſaporum ad guſtus gratiam ſtudioſa, quam & incredibilis colorum mixturæ ad oculorum oblectamentum Hæc varietas cùm in pleriſque vegetantibus cernitur, tum maxime in Arundinũ genere manifeſta eſt, quarum eſt tanta differentia, vix vt certus à quoquam auctore ſpecierum numerus ſtatui poſſit: Quod animaduertens

*Cap. 12. lib. 4.* Theophraſtus, vt ſolet, conciſa breuitate in duo ſumma genera contraxit. Dioſcorides variis locis *Cap. 11. lib. 24.* ſeptem enumerauit. Bauhinus 21. agnouit. Plinius 29. Quæ omnia doctiſſime perſequitur Dalechampius lib. 9. cap. 5. primi Tomi. Speciebus Arundinum indita ſunt nomina ex variis vſibus quibus dedicantur, vt apud quoſuis auctores legere licet. Differentias vero faciunt radix, calamus, panicula, folia denique ipſa: quarum partium Natura nullam ſuperuacuam eſſe voluit. Calamo, qui in Rheno *Plinius cap. 36. lib. 16.* naſcitur, nihil eſt ſagittis aptius; huic namque plurima ineſt medulla, pondusque volucre, contra flatus quoque peruicax libra: Syringias vtiliſſimus fiſtulis. Auleticus tibiis. Pomponius Mela refert in India vaſtos adeò eſſe Arundinum calamos, vt earum ſciſſa internodia veluti nauitas binos & quædam ternos etiam vehant. Solinus Arundinis radicem decoqui, exprimique humorem teſtatur ad melleam ſuauitatem. Saccharum vero in ipſis arundinibus ſalis modo coactum, dentibus fragile in India, atq; Arabia felice inueniri, teſtis eſt Dio*Cap. 104. lib. 2.* ſcorides. Plinius item affirmat, non amplius nucis *Cap. 8. lib. 12.* auellanæ magnitudine reperiri. Ac proinde facile elui poteſt quorumdam opinio qui ſaccharum priſcis ignotum fuiſſe crediderunt. Inter *Lib. 2. epiſt. 2.* quos Ioannes Manardus: quem ſequitur Fuchſius *Lib. 1. c. 35.* in Paradoxis Medicinalibus: quorum rationes vnico verbulo quiuis conuellere poteſt. Antiquorum enim ſaccharum tale erat, quale reperiebatur, aut mediis in Arundinum calamis, aut in rimis vi ca-

loris eductum, vnius Solis opificio excoctum, denſatumque ſalis modo, nec amplius nuce auellana, ingratum & tantum medicamentis aptum. Nunc verò naturalem defectum laſciuientis gulæ impetus artificio quodam expoliuit; ita vt coctione ſecunda, tertiáque medullaris eiuſmodi ſuccus limpidior redditus, cogatur in panes turbinatos, quales apud Seplaſiarios venales proſtant. Atque vt obiter dicam, in eo grauiter errant, cùm aiunt in ſolis Arundinum foliis ſaccharum colligi: item cùm Arundinem cauam eſſe, nec medulla plenam affirmant: ſiquidem inter Arundines maſculæ omnes ſolidæ ſunt, ſeu medulla tenui, ſeu cartilagine dura plenæ, ex Theophraſto ἔστι δὲ ὁ μὲν ἄρρην στερεός, ὁ δὲ θῆλυς κοῖλος, *Lib. 4. cap. 12.*
maſcula ſolida eſt. fœmina inanis. Imò & ipſe tales Calamos Indicos vidi, quorum cutis extima variis velut literarum arabicarum figuris naturaliter ſculpta erat, intus cartilagine adeò ſolida plenos, vt cùm eos acrius collideremus, ſcintillæ illicò excuterentur, quæ graui ac ſulphurato odore aërem inficerent. Sed & ipſe Theophraſtus ſacchari mentionem fecit libello de melle conſcripto, cuius tantum extat fragmētum. Triplicem enim mellis generationem affert: Primam à floribus & odoratis rebus. Secundam ab aëre, cùm liquidiuſculus à ſole cōcoctus cadit. Tertiam ab arundinibus. Per primam enim intelligit mel noſtrum vulgare. Per ſecundam ſignificat manna, quod eſt mel roſcidum, & Ἀερόμελι apud Athenæum dicitur. Per tertiam ſaccharum. Sed hæc obiter: nunc de reliquis Arundinum par-

tibus, hoc eſt de folio & panicula dicamus. Folium ſtoreis & tegetibus texendis aptum eſt: Quibus olim excipiebant oliuas, referente Columella: nunc verò apud Septentrionales nonnullos ſternendis Caſularum pauimentis inſtar mattæ vſurpatur: apud alios iuncis & aquaticis graminibus permixtū ſtramenti loco domibus tegulum præbet. Calami *Dioſcor.* odorati folium ob εὐωδίαν commendatur. Adarchæ vocatæ Arundinis dentibus vtile eſt. Denique *Plinius.* Panicula ſcopas & verricula præſtat, pro pluma ſtrata cauponarum replet: quæ limoſiore callo in- „ duruit contuſa & interiecta nauium commiſſuris, „ ferruminat textus, glutino tenacior rimiſque ex- „ plendis fidelior pice. Hoc vno infeſta eſt Arundo, quòd eius paniculæ lanugo quam ἀνθήλην Græci vocant ἐμπεσοῦσα εἰς τὰς ἀκοὰς κώφωσιν ἐργάζεται, inquit Dioſcor. cap. 113. lib. primi. reliquis omnibus ſuis partibus vtilis.

---

## *ARVNDO INDICA VARIEGATA ſiue Laconica Theophraſti.*

## CAPVT XXIII.

PRÆTER traditas ab auctoribus, qui ante nos ſcripſerunt Arundinis ſpecies, nouam hîc ex India allatam proponimus, quæ ob varietatem tanti apud nos æſtimatur, vt vnius plantæ pretium fuerit 12. aureorum. Huius radix vulgaris more na-

ARVNDO LACONICA THEOPHRASTI.



turâ viuax & geniculata, ſingulis annis calamos & folia vere nouat, quæ duo ſimul apud nos Hyeme intercidunt. Calamus hominis proceritatem implet, ac ſuperat, vix nudus oculis patet. Folia enim quæ in ſuo exortu tubulo facto pediculi vicem præſtant, complexu tenues per ambitum inducunt tunicas, atque ita ſubinde naſcentia ab imo ad ſummum vſque, calamum operiunt. Inter hæc folia quędam cubitum longitudine ſuperant, latitudine vnciam alteram explent: (Notabis hîc Plinium, qui Indicarum Harundinum folia dicit eſſe breuia: cùm huius noſtræ, quæ ex Indiis Orientalibus petita eſt, ſint ampliſſima: Nec minora Sacchariferæ, cuius folia binos cubitos æquant,) Incana ſunt omnia, varie tamē colorantur excurrentibus lineis latis, quarum aliæ ſubflauæ ſunt, aliæ virides, aliæ ſubrubræ: quanquam is rubor non omnibus foliis communis ſit, ſed tantum ad radicem natis. eius paniculam videre non licuit. Hanc Arundinem ex iis eſſe arbitror, quas Natura potius ad ornatum & oculorum gratiam, quam ad vllum alium vſum eſſe voluit. Interim nemini dubium eſſe debet, quin hæc ſit, quam Theophraſtus lib. 4. cap. 12. Laconicam vocauit, aut ſaltem eius ſpecies. Theophraſti verba hæc ſunt ἔχουσι δὲ μεγάλας διαφορὰς ὥσπερ ἐλέχθη καὶ κατὰ τὰ φύλλα, οὐ πλήθει καὶ μεγέθει μόνον ἀλλὰ καὶ χροιᾷ. ποικίλος γὰρ ὁ λακωνικὸς καλούμενος. Plurimum autem differunt folia non magnitudine & numero tantum, ſed etiam colore: ſunt enim Laconicæ Arundinis vocatæ variegata (intellige folia.) etiāſi aliæ Arundines varie-

gatæ

gatæ in regno Bengala creſcant quarum calami & folia pluribus punctis notentur, de quibus D. Paludanus in ſuæ Hiſtor. Orient. Part. 2. cap. 18. Sed vt noſtra hæc arundo longè eſt illis ornatior, ita & præ cæteris Laconicæ nomen meretur potiſſimùm cùm tantum de differentia petita à foliis verba faciat Theophraſtus, quæ ſola noſtra in Arundine vario colore pinguntur.

---

## *FVMARIA SILIQVOSA ſemper virens.*

## CAPVT XXIV.

IN America Septentrionali duæ Fumariæ ſpecies naſcuntur. Altera ſemper viret: altera autem elapſo vere diſparet, tametſi viua radix ſub terra adoleſcat, & tecta terræ tepore propagetur, donec ſequente anno repullulet. Quo fit vt prior, ſpecies eſſe videatur Fumariæ noſtratis, cuius tam frequens eſt in medicina vſus: poſteriorem vero referamus potius ad eam Fumariæ ſpeciem, quam herbarij Cauam radicem appellant.

Prior itaque quam ſiliquoſam dicimus recta ſurgit, caule pedali, rotundo, glabro, tenui velut cinere aſperſo, qui leuiore tactu facilè defloratur. In folijs cæſius læuor, & diuiſura ſimilis vulgari, amplitudo tamen eſt maior. Brumale tempus ea non metuunt. Cauliculi alatim pullulant. Floribus in

*Huius fumariæ ſecundam ſpeciem require postea folio 127*

# FVMARIA SILIQVOSA SEMPER VIRENS.



*Fumaria sempervirens*

apice ſpicantur, radici cauæ ſimilibus, colore autem diuerſis: horum enim canaliculus carneo, os autem patulum fuluo, atque aureo colore ſplendet. Floribus ſuccedunt ſiliquæ, falculæ in modum contortæ, flaueſcentes, in quibus ſemina milij modo compreſſa, rotundiora tamen concluduntur. Radix fibroſa eſt, vulgarique denſius capillata. Planta hæc acris ſimul & amaræ qualitatis eſt particeps: vnde vt ea, quæ eſt deſcripta à Dioſcoride, efficacius etiam vrinam ciere poteſt: ſimulque bilioſos humores deducere. Dentibus attrita, & ore contenta diutius, ſaliuam promouere conſueuit. Succo caliginem diſcutit, itaque in medicamenta oculorum addi poteſt, vt vulgaris.

Fumaria latine, græcè *καπνὸς* dicitur, à fumo, inquit Plinius, delachrymationem enim facit, ceu fumus, ſi oculis eius ſuccus inſtilletur. *Cap. 13. lib. 25.*

---

## *AQVILEGIA PVMILA præcox Canadenſis.*

## CAPVT XXV.

MINIMA hæc Aquilegiæ ſpecies, quòd Infelicius creſcit, Pumilionis: quòd celerrimè, præcocis nomen meretur: nam ante Maium menſem flos ferè elapſus eſt vniuerſus. Folia habet Talietri pratenſis figura & amplitudine paria, colore quadantenus ſimilia, nam aliquanto pallidius

AQVILEGIA PVMILA PRÆCOX CANAD.



*Aquilegia Canadensis. L.*

virent. Caules tenuiſſimi, rubentes, vix palmum ęquant. Floſculi in ſingulis apicibus creſcunt, quinque corniculis cauis, non vt in noſtrate aduncis, ſed rigidis conſtantes: quæ cornicula à medio ad conum vſque punicei obſcuri coloris ſunt, infrà autem, quâ parte hiant, croceo colore tinguntur. Hæc inter cornicula quinque foliola punicei etiam coloris medium tenent, quorum mucro deorſum vergit. Floris in medio ſtamina ſunt alba quam plurima; quæ luteis apicibus faſtigiantur, ſimul cum flore defluunt. Quæ in ſpinulam acuminantur, in 4. aut 5. recuruas ſiliquas formantur, Delphinij ſimiles, in quibus ſemina nigra & nitida. Radices ſubſunt tenuiſſimis filamentis fibratæ. Cæterum omnis Aquilegia veteribus ignota fuit, à recentioribus autem inter coronarias recenſetur: nuncque Aquilina, nunc Aquileia nominatur. Malim Aquilegiam appellare, cuius vocabuli ethymon ſubtexere lubuit. Quod hæc planta, initio dum creſcit nondum explicatis folijs, & nubilo die conuolutis in ſeſe, per imbres aquas colligat nec deffluere patiatur: pari vocabuli ratione, quâ qui aquas conquirunt ſparſaſque hinc inde venulas fontis in alueum deducunt, *Aquileges* dicuntur. Lege Plin. *Cap. 6. lib. 26.*

# ASTER LVTEVS alatus.

## CAPVT XXVI.

QVAMVIS procera ſit, & valdè ramoſa huius Aſteris ſpecies, quæ ab America Septentrionali nuper allata eſt: vix tamen duo cubita excedunt caules eius rotundi, quos folia obſcurè virentia longiuſcula, ſine pediculo veſtiunt; pediculi namque loco, appendiculæ quædam alarum inſtar è marginibus foliorum deorſum flexæ, vtrimque cauli proximè adhęrent, ibique deſinunt vnde folij alterius exordia ſumuntur. Flores lutei Bellidi maiori ſimiles in ſummo cauliculorum naſcuntur, medio ſcilicet orbiculo luteo prominente, & folijs è circumferentia exeuntibus, velut Aſtri radiis aureo colore fulgentibus (vnde nomen.) Flos vetuſtate in pappos abit, qui, ſi digitis infries, Chamęmelinum quiddam redolent. Radice nititur fibroſa hic Aſter, quem ſapor, aſtrictionis potius quam alterius cuiuſuis qualitatis participem eſſe teſtatur.

# ASTER LVTEVS ALATVS.



*Helenium autumnale L.*

## *ASTERISCVS LATIFOLIVS Autumnalis.*

## CAPVT XXVII.

NOVA hæc Americana planta reliquas inter Aſteriſci differentias Autumno præmaturius floret. Radix huic crebris compacta filamentis; caules lignoſi, rotundi ſubrubri bicubitales; folia in ambitu ſerrata, longis pediculis innixa (velut pyri) in eximiam latitudinem panduntur, quæ ſenſim in mucronem gracileſcit: coloris quidem ſupràluteo-virentis, inferna autem parte velut Cyclamini: caulium cacumini luxurians adeò florum inſidet copia, vt quamplurimis contextum floſculis ſertum potiùs, quàm genuinum plantæ florem dixeris. ſinguli flores duplo minore ſtella fulgent, quàm vulgaris Aſter Atticus (ob eámque cauſam Aſteriſcum potius, quam Aſterem appellauimus) medium cineracei coloris vmbonem habent, circa quem foliola veluti radij dilutiſſimè purpuraſcunt.

Sitne vero hæc planta iiſdem prædita viribus, quibus Aſter Atticus Dioſcoridis nondum compertum habui.

DE

# ASTERISCVS LATIFOLIVS AVTVMNAL.



Aster cordifolius

L.

# DE CENTAVRIO.

## CAPVT XXVIII.

TAM varia ſunt & intricata, quæ auctores melioris etiam notæ, de ſpecies & numero Centaurij ſcripſerunt, vt non modo, ex Plinio, imperiti confundant hæc omnia, & vni generi aſſignent: ſed etiam noſtri ſæculi doctiores, id non ſatis capientes, vel primas duas Gręcorũ ſpecies duntaxat admittere coacti ſint: vel inter eos qui curioſiùs varietatem ſtirpium quotidiana exercitatione rimantur, plures eius ſpecies aſſignare. Plinius tres attulit. Prima eſt Centaurium maius Dioſcoridis, quod ille Centauream nominat, ſiue Chironiam; quòd eâ curatus dicitur Chiron, cùm Herculis excepti hoſpitio pertractanti arma ſagitta excidiſſet in pedem. Secundam, Centaurium appellat, minorem illam ſpeciem vulgatiſſimam, fel terræ herbariorum, quam Libadion dici teſtatur, quod circa λιβάδας & rigua loca ſponte naſcitur; hocque Synonymum loco Limnæi, in Dioſcoride reponendum cenſet Dalechampius. Tertia eſt Centauris, cognomine Triorches. Qui eam ſecat rarum eſt, vt non vulneret ſeſe. Theophraſtus defendi eam impugnarique colligentes tradidit à Triorche Accipitrum genere. Geſnerus lib. 3. de Buteone quem τριόρχην Græci vocant; notat Plinium imperitiæ, dum aliorum inſci-

*Cap. 26. lib. 25. nat. hiſt.*

*Ibid.*

Centauriũ maius primum.

Centauriũ minus.

*Cap 39. lib. 11. Dalech.*

Centauris.

*De volatil.*

tiam arguit; Apparet, inquit ipſum Theophraſti verbis eſſe deceptum (φυλάττεσθαι δὲ ϗ τὴν κενταυρίδα τέμνοντα, τριόρχην, ὅπως ἄτρωτος ἀπέλθῃ. *Centaurida quoque ſecantes Accipitrem Triteſtigerum dictum cauere, vt ſine vulnere diſcedant:*) quòd Centauridi Triorchidis cognomen dederit, cùm hoc verbum ad Accipitrem referatur: Fabuloſam præterea hiſtoriam credit de Buteonis certamine; cùm adeo vilis ſit ac timidus, vt à minutis auibus ſæpenumerò pellatur ac fugetur: cuius rei gratia apud Italos prouerbium tranſijt in effœminatos & timidos, quos huius auis nomine Poyanas vocant. Apud nos etiam *Buzard* quaſi *vne buze* amentem ſignificat: Et proindè vix creditur adeò imbelle animal audere homines aggredi, aut etiam roſtro impetere.

*Theop l. 9. hiſt. cap. 9.*

Dalechampius ait Plinium ex ſuo ipſius iudicio, tertiam hanc ſpeciem excogitaſſe contra Græcorum ſententiam; & Theophraſtum de Centauride, non vt tertia ſpecie ſcripſiſſe, ſed Centauridem, pro Centaurio minore accepiſſe. Huic ſententiæ Gaza adſtipulatur: Centauridem enim febrifugam vertit, quod epitheton vni Centaurio minori ab omnibus herbarijs, & Medicis tribuitur. Carolus Cluſius in ſua rariorum Plantarum Hiſtoria, præter duas vulgares Centaurij ſpecies, Maioris alteram ſpeciem deſcribit à ſe ſuprà Olyſipponem in lapidoſis iuxta Tagum collibus inuentam. Alterum Centaurij Magni genus, inquit, longa habet folia non in lacinias diuiſa vt primum, ſed [a] Armoraciæ foliis non diſſimilia, & ad Glaſti foliorum humi expanſorum ſimi-

Centauriũ maius Car. Cluſij lib. 4. cap. 5.

a. *Armoracia hic Plinij intelligẽda*

*quæ eſt ῥαφανὶς ἀγρία Dioſc. ſiue Raphanus Ruſticanus, non autem Dodonæi, aut Tabernom. quæ eſt Rapiſtrum.*

litudinem plurimùm accedentia, per ambitum ſerrata, ſaturæ viriditatis, & amariuſculi ſaporis: caules inter folia prodeunt cubitales aut ampliores, rotundi, circa ſummum bifidi aut trifidi, ſquammata capita ſuſtinentes, prioris Centaurij maioris æmula: florem villoſum coloris albeſcentis inſtar Primi; ſemen Cnico ferè ſimile, ſeu vt verius dicam, Primi, ſummo hirſutum & molli lanugine inuolutum: radicem valdè craſſam, duram, longam, denſo cortice tectam, foris quidem nigro, internâ verò parte flaueſcente, ſuccumque croceum refudante, qui cum amaritudine quadam aromaticus eſt.

Centauriũ nothum Dalech.

Dalechampius vltra triplicem iſtam differentiam, quartam attulit, quam Centaurium Nothum appellat. In humidis Alpium vallibus prouenit, radice craſſa, nigra, lignoſa, huc illuc ſparſa, intus alba, guſtu amaro, caulibus multis, cubito altioribus, denſa lanugine obſitis, anguloſis: foliis Cannabis vtrimque diſſectis in vno pediculo villoſo & fere cubitali multis, ordine collocatis, numero ſemper imparibus vt ferè 13. aut 15. ſingulis ſint pediculis, quâ pediculi florem ſuſtinentes è caule prodeunt, ipſum caulem vtrimque amplectentibus, & illic in longum & anguſtum diuiſis, floris capitulo ſcabioſæ vulgari ſimili, hirſutis erectiſque ſquammis, compacto flore luteo.

Hiſce & duas ſpecies ſubtexam tum ſuo aſpectu, tum & ipsâ quoque ſingularitate elegantes.

# CENTAVRIVM MAIVS *luteum.*

## CAPVT XXIX.

CENTAVRII maioris lutei radix craſſa, longa, & altè depacta, ſimplex, nunc bifida in extremo, carne intus alba, foris cute nigra & dura obtegitur: ſucco madet pallido, ſaporis acerbi: Caules inde plurimi exurgunt cubitales, tenues, duri, teretes, & fibris intercurrentibus aſperi, geniculati, ſurſum oblique acti; foliis longis in lacinias vtrimque impares diuiſis, inæqualibus inter ſe, ac diſſimilibus veſtiuntur, quæ in ſuo iuxta radicem exortu Anthyllidis leguminoſæ folia quadantenus referunt non inciſurâ modo, ſed etiam colore glauco. (ſeu vt Dioſc. ait viridi Braſſicarum colore) differunt tamē tum magnitudine, tum quòd Anthyllidis foliola ſuo acumine in folij neruum deſinant: quod quidem acumen obliquè expanſum in noſtro Centaurio velut ala neruum veſtit, & in alterum vſque foliolum declinat. Quò ſuperiora folia, eô laciniis pluribus diſſecta, in ambitu nequaquam crenata inſigni læuore poliuntur. Caulium apicem exornant capita acuta: paulò inferius autem minima adnaſcuntur, cum folij appendicula: omnia vt in Cyano ſquammoſâ agglutinatione compacta, à quibus per ardores lentus humor deſtillat. Iulio aut Auguſto

# CENTAVRIVM MAIVS LVTEVM.



Centaurea alpina L.

menſibus Luteopallidum florem explicant Aphyllanthon, qui vetuſtate marcidus fuſceſcit, ac deorſum in ſubiectum caput reuoluitur; donec maturitate ſeminum reſeratur, tuncque aperto calice plurimum ſemen fundit Cnico ſimile, ceu laneis floccis inuolutum, vt in Centaurio vero. Non mihi conſtare potuit vnde fuerit erutum hoc Centaurium, quod ſine nomine, & ſine vlla adſcriptione patriæ, aduectum fuit ex Anglia anno ſuperiore. Hæc herba ſicut guſtu contrarias qualitates ſortitur, ita & vſu præſtat contrarios effectus. Guſtu acida aſtringenſque apparet, ſub finem tamen leuiculâ acrimonia linguam pungit: vt ratione aſtrictionis & aciditatis adiunctæ, ſanguinis vndecumque ruentis profluuium ſiſtat: Raſa aut contuſa radix & appoſita, vulnera glutinat vt Centaurium verum. Sed & innocentius plures eius drachmæ ſumi poſſunt, nec opus eſt febricitantibus ex aqua propinari: ſatis enim in ſe frigiditatis ſuccus poſſidet; vi cuius & viſcerum intemperiem emendat & infarctu liberat, & bilem pituitâ velut viſco inhærentem deturbat. Siccata autem, & Rhapontici in morem commanſa nutritionum viſcerum tonum ſeruat, reſtituit & vacuum excrementicijs humoribus ventriculum reddit.

# *CENTAVRIVM FOLIIS Cynaræ.*

## CAPVT XXX.

CENTAVRIVM maius Panacis genus eſt, quod ab inuentore nomen accepit: ac ferè genus omne herbarum, quarum vis præcipua in expugnandis morbis haberetur, Panaces nominarunt. Panaces enim ipſo nomine morborum omnium remedia promittit: Quamuis & huius genera cibis ſæpius quam morbis addicta reperiuntur: qualia inter olera noſtri non pauca numerauere, noſque proximè ſequenti capite ab orbe nouo delatum vnum eiuſmodi referemus.

*Plin. cap. 4. lib. 2.*

Mons Pyrenæus eique confines colliculi quibus medicinalium herbarum plurima ſeges eſt, inaudito hactenus Centaurij genere gloriantur. Hoc brachiali radicis atræ craſſitudine in altum deſcendit, foliis ampla magnitudine laciniosis: diuiſurâ Cynaræ folia referentibus, colore ſuprà viridibus, infrà candidis; tenuis quippè lanugo hac parte naſcitur adeo læuis & polita, vt coloratam potiùs quàm tomento obductam putes. Naturæ luſus detegitur cùm rupti folij portio vtraque à ſe diuellitur. Bicubitalis caulis, anguloſus, lanuginoſus, foliis vndique luxurians in plures alas diuiditur; fert in cacumine capitula calathi effigie, ſquammulis aculeatis imbricatim

# CENTAVREVM FOLIIS CYNARÆ.



imbricatim aggeſtis hiſpida, quæ exiguæ Cynaræ magnitudinem implent: color fuluus: dum dehiſcunt ſingula, florem Aphyllanthum purpureo quodam glomeratum corymbo expandunt (quod vix ante Auguſtum apud nos euenire ſolet.) Excuſſo flore capitula clauduntur, ineſt iis ſemen copioſum Cnico ſimile: paucis inde diebus maturitate paulatim dehiſcentia, incluſa lanugine ſemina oſtendunt. Sapor auſterus, & ſubamarus bilem ſubducit inteſtinis morantem, ſummoque habetur contra Rheumatiſmos præſidio.

---

## *PANACES* Καρπιμον. *SIVE RACEMOSA Canadenſis.*

## CAPVT XXXI.

NASCITVR & in America Panacis genus cuius elegans eſt, & à nullo hactenus tradita facies. Vbique prouenit, ſolo macro, pingui, limoſo; etiam inter difficultates ſaxeas. Radix pollicari craſſitudine deorſum fertur, effoſſam vidi pedem longam, ac ne ſic quidem ſolidam, ſed abruptam. Caulis rotundis geniculis articuloſus, ramoſus, obſcurè purpuraſcens, medulloſa cartilagine repletur: Folia ab eodem pediculo plura ex rotundo in acumen gracileſcunt, ambitu ſerrato. Ex geniculis prodeunt pediculi caulem ſinu amplexantes, cuius in ſinus cauitate oculus deliteſcit, ſubſequentis vuæ

## PANACES Καρπιμον. SIVE RACEM. CANAD.



K ij

Aralia racemosa Linn.
— hispida L.





# IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)



6"





Photographic Sciences Corporation

23 WEST MAIN STREET
WEBSTER, N.Y. 14580
(716) 872-4503

rudimentum; ſicque ramuli & caulis per genicula mediâ æſtate nō floribus modo, ſed & grauidis baccis racematim contextis onerantur. Flos viti æmulus primùm herbaceus eſt, poſtea paulò magis candicat: hunc vua excipit, acinis per initia virentibus, deinde ſaturè rubentibus; quibus ſuauitas ineſt guſtu acceptiſſima, intus pleniori ſemine turgent.

Sapor foliis & radici Panaci ſimilis, vuæ gratior. De viribus nihil peculiare accepi: oleraceam eſſe, & cibis aptam teſtantur. Singulis annis caulem & folia deponit, ſequenti anno noua promit.

---

## *ACONITVM BACCIS NIVEIS & rubris.*

## CAPVT XXXII.

OPacis & ſilueſtribus locis in eâdem Americæ parte frequentiſſimum eſt geminum Aconiti racemoſi genus. Vtrumque apud nos verno tempore in pedalem caulem proſilit. Radix nigrior nec imum petit, nec ad latera ſpargitur; ſed coacta in ſe adnaſcentibus vndique fibris capillatur. Caulis purpuraſcit, pullique pariter qui multi ab radicibus germinant. Folia ni minora eſſent Vitium aut Ribes poterant videri, paulò rugoſiora tamen ac in viridi colore ſunt obſcuriora. Caulium cacumina Maio menſe in vuam ſe ſpargunt, mille apicibus verius quàm floſculis compoſitam

enicula
dis bac-
æmulus
candi-
ntibus,
eſt gu-
gent,
gratior.
eſſe, &
n & fo-

VEIS

Ameri-
n Aco-
verno
lix ni-
ur; ſed
apilla-
i multi
eſſent
goſiora
Cau-
rgunt,
oſitam



# ACONITVM BACCIS NIVEIS ET RVBRIS



Actæa spicata, alba β. L

( quamquam ſi ſeorſim floſculum vngue molliter præcidas nec violes, ſex alba foliola apicibus ſubſtrata agnoſces, vt tabula fideliter exprimit.) Innaſcitur ſingulorum vmbilico turbinata quædam pilula, quæ poſtquã pleniore incremento conualuit orbicularis eſt figuræ. Punctum purpureũ iſtius baccæ extremum ſignat, ſimiliſq; coloris longior ſubeſt pediculus. Nondum hactenus de viribus huiuſce plantæ conſtat, ſitne in ea velut in noſtrate quidpiam deleterium: an verò malignitatem omnem niueus ille, fauſtuſque vt videtur baccarum color abeſſe teſtetur. Quidquid ſit, Aconitum eam potius à ſimilitudine, quàm à viribus nominauimus. Baccæ plerumque variant: vidimus enim etiam rubellas, quarum pariter vſum exploratum nullum habemus.

---

## *GLADIOLVS ÆTHIOPICVS flore coccineo.*

## CAPVT XXXIII.

EGREGIA hæc Gladioli ſpecies à Promontorio bonæ ſpei delata nunc primùm floruit Lutetiæ Pariſiorum, in celeberrimo generoſi viri, & nouarum ſtirpium apprimè ſtudioſi Petri Morini horto, anno Domini 1633. menſe Octobri deſinente. Bulbum habet vnicum (non duplicati ordinis vt vulgaris) cumque longe habitioris & adul-

## GLADIOLVS ÆTHIOP. FLOR. COCCINEO.



*Antholyza æthiopica L.*

tioris amplitudinis, planum tamen, ac vt nux vomica depreſſum; eius caro intima fæcis vini colorem refert, & guſtanti acerrimè linguam pungit. Bulbus hic multis tunicis obducitur, ſingulæ nerueis filamentis ductis in ſeſe & in plexum velut retiformem textis fimbriantur. Aliæ alijs inſident, vt in Croco Myſiaco vſu venit. Folia ſunt Iridi noſtrati magnitudine & figurà ſimilia, longitudine inter ſe diſparia, qualia in Gladiolo vulgari. Thyrſus inter folia medius erumpit, nunc vnus, nunc ramoſus (vt vidi) teres, fragilis, glaber, enodis atque ex nigro leuiter purpuraſcens. Huius ſuprema pars in coccineam velut ſpicam faſtigiatur: adeò bellè florum germina vtroqueverſus diſponuntur, vt in hordeo διστίχῳ videmus: priùs autem quàm ſingula hæc aperiantur, alia poſt alia longius excreſcunt, tuncque corniculorum modo leniter incuruantur; ac tubulum ſinuatum formant lutei coloris, pediculus tamen quo tubus cauli adnectitur ruber eſt, nec niſi propius intuenti apparet, cùm gemino foliolo atrouirente hinc inde tegatur. Dum tubi huius extremum hiat in ſex lacinias diuiſum, totidem quoque folia format, quorum tria longiora ſunt & obtuſa, coccineoque colore rutilant, reliqua tria breuia admodum & acuta: extra puniceo colore tinguntur, intus croceo nonnullis lineis coccineis ſtriato ſplendent. Eo itaque diſpoſita ſunt ordine: ſupremum ampliſſimum eſt; ſubiectum vtrimque, minimum; quæ deinceps poſita, magna; infimum autem valdè exiguum: vno verbo, breuiora longioribus

gioribus interſeruntur. A cauo huius floris quatuor ſtamina fluunt, quæ per ſupremi folij ſinum deducuntur inæquali longitudine: inferiora duo humiliora ſunt, tertium elatius eſt, ſingula purpureis apicibus ornantur, fiſſis parte ſupinâ, pronâ verò duplici linea ex puluere luteo confecta diſtinctis. Quartum ſtamen ſine apice eſt, & linguæ ſerpentis modo triſulcum apparet.

Præter vires inſignes quibus ab antiquioribus herbariis commendatur Gladiolus vulgaris, obſeruauit Lobelius in ſuis aduerſarijs, eundē ad tumores ſtrumoſos & ſcrophulas tantæ eſſe opis, vt nulla planta huic comparanda videatur, recentiorum certiſſimis periculis factis. Ego verò Æthiopici noſtri Gladioli radicem in hoc effectu tantò vulgari præſtantiorem arbitror, quantò vis eius acrior, quæ guſtu percipitur, vulgaris Gladioli calidum, à quo præcipuè fluit mixtorum actio, ſuperare videtur.

RHAMNVS MYRTIFOLIVS EX INS. S. CH.



## *RHAMNVS MYRTIFOLIVS ex Inſula Sancti Chriſtophori.*

## CAPVT XXXIIII.

NOSTRI inclementia cœli effecit, vt integrum & perfectum eximium hoc Rhamni genus videre non potuerimus. vix enim cubiti proceritatem impleuerat, cùm hyemis aſperitas ipſi incrementi ſimul & vitæ terminum præcidit: Accepimus tamen in amplum fruticem extolli. Quantum autem obſeruare potuimus, arbori ſtipes eſt rotundus, cortex viridis & nitidus, folia iuglandis modo diuiſa, diſpoſita per verſus, ex aduerſo bina ſemper, in ambitu non ſerrata, ſed myrti latifoliæ æmula: nunc octo, nunc decem ſimul, atque etiam plura in eodem neruo petiolis adhærent, prout minorem aut maiorem arbor proceritatem habet. Spina vna aut altera, mollis, & infirmior, caudicis & ramorum leuia tubercula, ex quibus folia erumpunt, vtráque parte ſtipat.

# CARCHICHEC TVR. SIVE PRIM. VER. CO.



## *CARCHICHEC TVRCARVM SIVE primula veris Conſtantinopolitana.*

### CAPVT XXXV.

IN hortis noſtris inſigni feracitate atque copiâ pullulat Primulæ veris ornatiſſima ſpecies, quæ folijs ab vulgari non niſi mollitie diſtinguitur. foliorum medium diſcriminant coſtæ albæ, infima parte latiores ac leui rubore aſperſæ: margines, vt in lactucâ Romanâ, modice crenantur, numeroſè ac confertim in orbem creſcunt ex craſsâ & fibroſâ radice ſubalbidâ: hanc ſolent herbarij ob plantæ raritatem multifariam diſſecare, vt præter ſemen hac etiam ratione propagetur. Inter folia pediculi multi vix vltra digitum longitudinis efferuntur, calices ſuſtinent ſubuirides, tot ſinubus ſtriatos quot poſtmodum folia in flore ſuccedere debent: non plura quinque illa eſſe conſueuerunt, ſingula cordis effigiem repreſentant & dilutâ purpurâ colorantur, niſi quà vnguiculus eſt: colorem enim hac parte variat, in radium aureum croco adumbratum efformatus. Diceres medium floris vmbilicum ſtellam eſſe, adeò radiis quinque fulgentiſſimis interniteт. Piſtillum edit medio ſtellæ concolor. Calida eſt, & ſicca, guſtuque non mediocriter aſtringere percipitur. vſu efficaci pollet ad medendum melancholicis & pituitoſis affectibus: cohibendo alui profluuio.

magnopere confert: ventriculum atque adeò vniuerſa inteſtina ſoluta roborat. Integro propè anno floribus ornatur. Hos ſtatim atque vetuſtas decuſſit, ſequuntur ſemina alba Papaueris albi facie, quæ leui capſula incluſa matureſcunt. Multa inde ſoboles iuxta deciſo ſemine germinat. Apud Turcas audio nominari *Car chichec* quaſi quis niualem florem nuncuparet. argumentum nominis floris viuacitas dedit. Media quippè hyeme ſupra niues etiam caput exerere ſolet.

## *DE APOCYNO.*

## CAPVT XXXVI.

QVAMVIS ἀπόκυνον nomen ſit compoſitionis cuiuſlibet ad canum internecionem factæ, vt teſtatur Heſychius μάζα μεμαγμένη φαρμάκῳ πρὸς
*Cap. 5. lib. 32.* ἀναίρεσιν κυνῶν. Imò & Plinius Rubetarum ſiniſtri lateris oſſiculum, de quo mira certatim tradunt auctores, Apocynon vocari dicat, quod eo in potionem addito canum impetus cohibeatur: Verumtamen frutex naſcitur canum generi ita aduerſus, vt epotus, aut præmanſus citiſſimam mortem inferat, eorum coxendices reſoluendo; Hic vero eſt, qui apud Antiquos auctores Apocyni nomen meruit. Quod teſtatur Dioſcorid. Apocyni folia, inquit cum adipe ἀρτοποιηθέντα canes, lupos & pantheras enecant. παραχρῆμα δὲ παραλύει αὐτῶν τὰ ἰσχία,

ob id eum magi paralyſin vocauere. Plinius, non canes modo; ſed & omnes quadrupedes necat Apocynum in cibo datum. Galenus non modo quadrupedibus, ſed hominibus etiam venenum eſſe affirmat: ob id quamplurima ipſi veteres Synonyma aptauerunt, quæ Iacobus Goupylus inter notha Dioſcoridis recenſuit: alij enim Cynomoron, alij cynocramben, cynanchen, pardalianches, cynoctonon, phaleon, oligoron, oniſtin, ophioſcorodon, cynaricam, elaphoſcorodon, Romani Braſſicam ruſticam appellant. Ruellius ab aliquibus etiam Hippomanes vocari dicit, quamquam apud Heſiodum herba ſit quam edentes equi aguntur in furorem.

*Cap. 81. lib. 4.*

*6. ſimpl. Med.*

Apocynum Dioſcorides fruticem eſſe dicit longis viticulis, graueolentibus, obſequioſis, fractu inuictis, folio hederæ, molliore tamen & acutiore, [c] melinoque ſucco turgentem. Huius ſiliquæ follicuIoſæ digiti longitudine protenduntur ſemine intus albo, duro, paruo. Matthiolus à Syris Apocynon Periploca vocari ſcripſit, cuius duas ſpecies à Syria delatas refert: quarum altera longiori folio, & ſiliqua, ſuccoque turgida Tithymalli more lacteo, quantumuis proceras arbores ſcandit: Altera omnibus notis Apocynon Dioſcoridis refert. Et huius tantummodo figuram profert, alterius Camerarius. Cluſius quatuor attulit, quarum duæ primæ à Matthiolo deſcriptæ, tertia à Dodonæo primo loco poſita, quam anonymon vocat: longis, tenuibus ramulis iuxta poſita ad-

[c] Id eſt ſubluteo qualis color in malis cotoneis cernitur, quæ propriè μῆλα græcis dicuntur.

*Hiſt plant. lib. 1. c. 89.*

minicula ſmilacis modo ambientibus, folijs hederæ, grauèolentibus, floribus albidis in vmbellam congeſtis: ſiliquis vt vincetoxici: ſemine plano & lanugine alba propendẽte. Quarta maritima eſt, quam ipſe obſeruauit in Narbonenſis Galliæ maritimis, ſarmentoſis ramulis, & folijs magis orbiculatis, in mucronem tamen deſinentibus, cineracei coloris. Tota planta lacteo ſucco prægnat, & vicinarum ſtirpium cauliculis ſeſe implicat. Fabius Columna Aſclepiadem flore nigro Apocynorum claſſi annumerat.

Cluſius prætereà ad Apocynum referendam cenſet quandam plantam Syriacam aut Ægyptiacam, *Lib. 5 cap. 4.* quę circa Hiericuntem ad flumen Iordanem creſcit in duo cubita, craſſo ſtolone, qui ſucco ex candido palleſcente plurimo abundat, folijs alternatim binis ſemper, pallide virentibus, grauis odoris: ex quorum alis petioli emergunt, flores aliquot ſuſtinentes, vnico folio quinque inciſuris diuiſo conſtantes, obſolete purpuraſcentes: quibus ſuccedunt ſiliquæ incuruæ, ſub ſumma cute imbricatim diſpoſita grana plana continentes, quarum extremæ parti villoſa & candida materia inhæret. hanc verò plantam Heidſar ab incolis vocari Weixius teſtatur. Credit Cluſius eſſe Beidelſar Proſperi Alpini libro de Plantis Ægypti edito; quamuis allata deſcriptio nullatenus ipſi quadret. Beidelſar enim, vt ait Proſper Alpinus, *Cap. 45.* fruticoſa herba eſt multis ſtolonibus ab radice rectis, folijs latis, oblongis, rotundis, vt Aloës folia craſſis, quibus diſſectis lac candidum qui-

dem

dem emanat, ſed flores fert croceos, Ranunculi floribus proximos: à quibus loco fructuum duo ſteſtes inuicem alligati pendent, in quibus alba lanugo & ſemina parua, Lactucæ æmula. Beidelſar itaque ab Apocyno Syriaco toto cœlo differre nemo non videt. Honorius Bellus epiſtola 4. ad Cluſium hanc fruticoſam herbam apud Ægyptios Oſſar vocari dicit; eius autem fructum Beid el oſſar hoc eſt eorum lingua ouum ex oſſar, à figura videlicet oui, aut teſticuli, cordis aut mali, quã eius fructus apprime refert. Abembitar medicus Arabs & Malahyſach Medicus Perſa in ſua Simplicium Hiſt. quam ex Abembitare in epitomen contraxit, huius Apocyni meminerunt, à quibus nullatenus diſſidet Proſperi Alpini deſcriptio: adduntque tanta acrimonia ſuccum eiuſmodi lacteum pollere, vt eo veluti pſilothro vtantur habitatores Mechæ ad coria depilanda.

Duplicem hic profero Apocyni differentiam: maius & minus. Maius vt opinor idem eſt, cum eo quod poſtremum deſcripſit Cluſius ſub nomine Apocyni Syriaci. Sed cùm eius deſcriptio manca ſit & mutila (nihil enim de radice, de perennitate: de floribus minus ſcitè, vt & de ſucco: proindè etiam vir & doctiſſimus, & alias oculatiſſimus, hic vltrò fatetur ſe eius plantæ non niſi ſiccæ, atque aridæ portiunculam vidiſſe) Suppondij loco hic addam, quæ in eius deſcriptione deſiderari videntur. *Lib. 5. cap 4.*

M

## APOCYNVM MAIVS SYRIAC. RECTVM.



*Aſclepias ſyriaca L*

# *APOCYNVM MAIVS Syriacum rectum.*

## CAPVT XXXVII.

APOCYNVM hoc radice conſtat alba, pollicem craſſa, fibris paucis veſtita, quæ longo radicis reptatu hortis non mediocriter infenſa eſt. Hyemem ſuperat humo ſepulta viuens. Sub finem Maij ſtolones aliquot fundit rotundos, lentos & fractu contumaces: folia fert vtrinque oppoſita, bina ſemper, lata tres vncias, ſex longa: inter quæ ſummo caulis faſtigio pediculi craſſi emergunt ſinguli (non bifidi) eximiam florum vmbellam ſuſtinentes, nunc 50. nunc 60. eodem aceruo cumulantur: ſinguli flores tenui longoque petiolo in craſſum deſinunt, & priuſquam dehiſcat, in caput exiguum congloban-tur: mox in 10. folia finduntur, quorum quinque deorſum, & quinque ſurſum flectuntur. Superiora ſunt inferioribus pinguiora, & exigua cauitate ſubſidunt: omnia coloris obſolete purpuraſcentis, odoriſque ſunt ſuauiſſimi. Succo tota planta turget lacteo, viſcido. Flos etiam lentore quodam extrinſecus obducitur, quo fit vt pedibus implicatæ muſcæ hæreant, quæ & odoris & saporis gratia allectæ frequentes aduolant. Ex numeroſa florum compage vix vna aut altera ſiliqua ſuccreſcit, quæ longitudine digitum implet, continetque membraneo

inuolucro ſemina lata & depreſſa, inſtar coronæ Imperialis, quibus ad germen promiſſa lanugo ſericea adnaſcitur. floret Iulio: Octobri marceſcit. In tres cubitos attollitur.

---

## *APOCYNON MINVS rectum Canadenſe.*

### CAPVT XXXVIII.

LONGE aliter ſe habet Apocynum minus: neque enim ſub terra repit vt Syriacum, ſed per ſummam humum multis radicum fibramentis apricatur. Maio reuireſcit: foliis anguſtis, digitum longis & acutis, per teretem & atropurpureum caulem geminatim præcedentis more diſpoſitis; altitudine vix cubitum æquat caulis, qui in ſummo floribus ornatur multis, vmbellæ forma: hi ſimilis quidem cum Apocyno Syriaco figuræ, ſed ſaturatiore purpura nitent: Cùm defloriut caulis, in duos cauliculos diducitur, qui elatiores facti alteram in faſtigio florum vmbellam proferunt. Lentor quoq; pariter florem obtegit, & à muſcis tuetur, quæ ſi temerè aduolent viſco implicatis pediculis tenacius adhæreſcunt, & fruſtra alarum niſu vitæ conſulere tentant. Sub Autumnum è floribus naſcitur folliculus vnus aut alter, membraneus, Aſclepiadis inſtar, in quo ſemina depreſſa, & lata concluduntur: à quorum acutiori parte papposa lanugo dependet: Planta hæc lacteo

# APOCYN. MINVS RECTVM CANADENSE.



*Asclepias incarnata.*

ſucco deleterio turget, quem credibile eſt, canes vt & cæteras animantes interimere: Tametſi per plantæ raritatem eius rei periculum nobis facere non licuerit. Defertur ex Noua Francia.

---

## *RANVNCVLVS LATIFOLIVS multiplex ſerotinus.*

## CAPVT XXXIX.

VIx ante vltimos menſis Octobris dies Ranunculi huius quicquam apparere ſolet; Sed tum temporis quinque aut ſex folia leniter hirſuta, conuol ta in ſeſe erumpunt. Hęc dum explicantur, lat : Plantaginis folia forma & amplitudine aliquo modo referunt, ſunt tamen in ambitu obtusè crenata, neruiſque reſperſa quamplurimis, quæ non rectà, vt in Plantagine, ſed tranſuerſim ſæpius inter ſe coeunt, quod eſt auerſa foliorum parte conſpectius. Foliorum pediculi lati, oblongi, albidi, ſinuati; vnà cum folijs dum creſcunt, in orbem humi procumbunt. Inter ea cauliculi plures paulatim in palmam attolluntur, quorum ſinguli ſingulos in apice globulos virides ſuſtinent, qui dum expanduntur, aureo ſplendore fuluos flores exhibent, Bellidi aut potius Hepaticæ flore pleno figura ſimiles: multis enim foliolis acutis conſtant, quorum ſex quæ primo ordine locantur, longè latiora ſunt; quæ verò deinceps, anguſta & coactæ breuitatis: me-

## RANVNCVLVS LATIFOLIVS MVLTIP. SE.



dium huius floris vmbilicum occupat globus alter viridis, qui marcido priore elatior factus in alterum florem priori congenerem efformatur; quod eſt maximè Ranunculi ſpeciebus familiare, quamquam id aliis, ſed rarius vſu venit: vt armeriis & roſis. Hoc Theophraſtus διγενθὴς vocat. Non Bellidem, ſed Ranunculum eſſe teſtatur ſapor adurens. Radix grumoſa eſt, vt Chelidonij minoris, aut Ranunculi Illyrici.

Alterius huius Ranunculi differentiæ, qui eſt flore ſimplici, Lobelius mentionem fecit, eumq; à natali ſolo Ranunculum Luſitanicum nominauit.

---

## *EDERA TRIFOLIA Canadenſis.*

### CAPVT XL.

QVÆ ſequuntur Ederæ ſpecies, non vt vulgares ab auctoribus deſcriptæ ſempiterna fronde ſunt, ſed inter φυλλοβόλα recenſeri debent. ſingulis enim annis accedente hyeme folia deponunt, & vere noua progignunt. Ederæ autem cuius Iconem exhibemus folia Phaſeoli modo tripartita, ferè palmari pediculo ſuſtinentur: qui ſucco turget lacteo dum rumpitur, verùm paulò poſt ita nigreſcente, vt atramentum videatur. cuius rei gratia à pleriſque habetur præcipuus tingendo capillitio, confectiſque ad id tincturis inſertus, nuper ad miraculum vſque id pręſtit.

Ex

## EDERA TRIFOLIA CANADENSIS.



*Rhus toxicodendrum L.*

Ex tenui & pallido flore, luteópallidos corymbos profert ſpatſiore racemo, in quo pulpa nulla eſt, aut ſaltem adeò ſicca vix vt compareat; ſed in eius acinis præter ſemen rotundum, duriſſimum, cineracei coloris, membrana tectum arida & corrugata nihil contineri viſum eſt. Floret Iulio menſe: ſemina matureſcunt Septembri. Lignum obtinet ederaceum (longè tamen mollius ac medulloſius) quod mira varietate laſciuit: nunc enim riget & ſine adminiculo ſtat: nunc ortis ab radice ſtolonibus per ſummam tellurem errat, ac ſi proximo pariete conſeratur, tenaces in rimas eius deducit fibras, ramuloſque mittit, qui helicis modo radicantur.

De huius plantæ nouæ proprietate nominis diu ad dubitarunt noſtri, vitemCanadéſem appellantes, fortè quod eius folium, pro more vitis, vindemiarum tempore, priuſquàm decidat rubeſcit, vt eminus intuenti genuina vitis appareat; ſed cominus nihil tale conſpicitur: nec enim corticem viti ſimilem habet, nec folia ſimiliter laciniata; quin & eius plantæ ſapor & odor adeò languidus eſt, vt propè nullus eſſe dici poſſit: accedit demùm in eiuſmodi acinis vuidum nihil eſſe, quod in liquorem exprimatur, quo fit vt eiuſmodi plantam arbitrer potiùs ad ederam quam ad vitem eſſe referendam. Dicitur itaque nobis Edera à radicoſo reptatu, trifolia à folij diuiſura, Canadenſis à patrio ſolo.

# *EDERA QVINQVEFOLIA Canadenſis.*

## CAPVT XLI.

EDERA quinquefolia non enodi fruticat trunco : ſed lignum habet ſarmentoſum, geniculis articulatum, vitis more medulloſum. Cute verius quàm cortice obducitur, læui ſimilique nouellæ vitis palmiti. Cùm teritur inter ſe, tardè friatur. Amplitudo fruticis tanta, quantus paries aut arbor quibus velut adminiculis ſuſtinetur. Pediculi longiores ex alternis geniculis inæquali ſitu prodeunt, rubri : quibus folia quinque, ſingula per ſingulos petiolos inſeruntur. Adnaſcuntur hinc inde ex alterâ foliorum parte clauiculi, qui in plures fibras criſpas ſparguntur, quarum extremitates limoſiore callo teguntur : his velut manibus proxima quæque comprehendit, & parietum aſperitatibus illaqueat ſeſe, quos tam iucundo ſpectaculo obueſtit, vt ad topiarium opus nihil commodius natura produxiſſe videatur. Nec enim ruinoſa eſt ædificiis, vt noſtras Edera, quam eam ob cauſam à domibus procul arcent, qui earum diuturnitati conſulunt.

Sapor huic acidus & parùm acerbus. Nec florem, nec baccas vidi. Folia, vt præcedentis, Hiemem non ſuſtinent.

# EDERA QVINQVEFOLIA CANADENSIS.



*Hedera quinquefolia L.*
*Vitis hederacea W.*

Vſus huic Ederæ non alius, vt opinor, quàm ad topiarium opus. Cùm enim plantigera ſit imis partibus, & malleolis facillimè pangatur, circa Autumnum noſtri vniuerſos auellere ſolent: tùm iuxta parietes raris interuallis ſcrobes effodiunt bipedalis altitudinis, in quos ſub finem Octobris auulſos malleolos deprimunt, & terra obruunt, leuiterque proculcant: nec enim teporem adeò deſiderat. Inter ſingulos ſcrobes quinque pedes, minimùm quatuor relinquunt, vt cùm creuerint ſpatium habeant, quo ramos & brachia extendant. Hæc enim planta citò conualeſcit, & quadrima aut quinquennis ad ſummos parietes adoleſcit. Initio autem dum nouella germina prorepunt, inſueſci debent vt parietem inſcendant: adultiora videlicet ferreis vncis, quibus ob id paries crebris munitus eſſe debet, fulciuntur: humiliora verò, etiam funiculis comprehenſa, in vncos verſus parietem inclinantur. Sicque hortorum clauſtra, apud nos intra tres aut quatuor annos herbida & pręcoci viriditate pinguntur: nullâ aliâ quàm Naturæ induſtria: neque enim vt vulgaris Edera deputatur, nec vt Arbuſta tondetur.

# *GELSEMINVM EDERACEVM Indicum.*

## CAPVT XLII.

FRVTEX eſt cui quandiu pedamenta ſuppetunt, quibus applicetur, tamdiu ſemper in altitudinem creſcit, iuxtáque conſitis arboribus, velut Edera conſueuit, radicoſo brachiorum amplexu maritat ſeſe. Viuaci & lignoſo eſt ſtipite: folijs quotannis deciduis; floribus Digitali ſimilibus, quæ omnia ſigillatim perſequimur. Lignum habet rarum, ſarmentoſum, medulloſum, colore pallidum: Corticem aſperum, ſubnigrum, multiplicem, vt qui extima parte rimis hiulcus in plures fibras radicis ſpeciem gerentes finditur. Huiuſcemodi corticem ῥιζόφλοιον Theophraſtus vocat, vitique potiſſimum tribuit. Rami vndiquaque luxuriant Sambuci more medulla pleni, tenues, herbacei, geniculati, folia vtrinque aduerſa ad latera geniculorum oriuntur, Sorbi inſtar aut Mollis Cluſij more diuiſa, ſimiltérque ſerrata. Sapiunt hæc folia guſtantibus genuinos fungos initio, ſub finem ſine morſu leuiter ſiccant. Septembri menſe in apicibus ramorum corymbus denſior apparet, puniceis quibuſdam velut racemis in orbem circumactis; vt certè Græcorum Erythranum ederæ genus diceres, ſi corymbus ille ex acinis ſeminum conflaretur: ve-

## GELSEMINVM HEDERACEVM INDICVM.



*Bignonia radicans L.*

rum globuli illi florum tantum gemmæ ſunt, & momento rotunditatem ſeruant, ſenſim enim dum creſcunt in calathos oblongos coloris punicei dilutioris extenduntur, formamque capiunt, quam digitalis recentiorum, quæ id nominis aſſecuta eſt, quòd huius herbæ flores æreì tubuli quo mulieres in ſuendo digitum muniunt ſpeciem referre quodammodo videantur. Tale eſt penitus noſtrum Gelſeminum, Ederaceum appellatum à nobis, quòd vt omni Ederæ radicoſa brachia, & huic Gelſemino ad ſingula internodia naſcatur aſperitas quædam innumeris villis compoſita, qua proximo parieti aut adminiculo, aut propè conſitis arboribus adnectitur & tenaciſſime adhæret, radix per humum ſummam repit, nec ſemine tantum ſeritur; ſed & auulſis ramulis, namque totidem initia radicum habere videtur, quot internodia in quibus aſperitates fibroſæ, vt diximus, ſi humo mandentur radicem aliquando formant. Nouellum eiuſmodi fœtum iuxta parietes noſtri conſerunt. Iubentque aſſerem interponi, aut perticam: vt ſit quo velut adminiculo, priuſquam corroboretur molliter acquieſcat.

DE

# DE GERANIO TRISTI.

*Et per occaſionem eius, plantarum in diurnas & nocturnas diuiſio.*

## CAPVT XLIII.

VT in cæteris rebus omnibus, ita & maximè in plantis non diſcordiæ modo, & cōcordiæ miracula, ſed & incredibilis omninò uarietatis velut prodigioſa facies occurrit. Sua quoque ſingulis præfinita ſunt dominationis tempora: nonnullis Verna, vt Paronychiis: nonnullis Æſtiua, vt Elleboro albo: alijs Hiemalia, vt Aconito tuberoſo Hiemali dicto: alijs denique Autumnalia, vt Gentianellæ, Colchico. Aliquæ nouum quot-menſibus florem fundunt, vt Caltha ob id Kalendula appellata. Aliæ pro vita annum exigunt, vt ſatiuæ plurimæ, Hortenſes & coronariæ. Multæ denique viuacitatem ſuam in plures annos prorogant. Sed omnibus hoc commune eſt, quod aliquam vel diurno, vel nocturno tempore ſubeant mutationem, quæ earum indoli ſolet ab aſtrorum virtutibus imprimi. Quo argumento generatim plantas diuidere non fuerit abſurdum, in diurnas & nocturnas; prout earum flores manifeſtiorem alterutrius ſyderis ſenſum habere videntur. Diurnas inquam in matutinas quæ Oriente ſole (qualem arborem deſcripſit Plinius, quæ florem noctu *Cap. 11. lib. 12.*

comprimit, eumque aperit Solis exortu.) In meridianas quæ medio, (velut Alcæa veneta ſoliſequa, cuius flos ſub XI. Matutinam aperitur, meridie ſtatim clauditur.) In veſpertinas quæ declinante aut pene occidente Sole floret, Luna aut vitam aut ſaltem vigorem pulchritudinis denegante. Nocturnas verò plantas dici par eſt, quæ aut medijs in tenebris lucent, aut ſuauius olent, aliudue quid ſuæ virtutis magis produnt, quod diurno tempore, illucentéque Solis iubare penitus obliteſcebat. Et certè qui herbariorum codices vel momento euoluerunt, quamplurima offendunt plantarum genera quæ ad haſce duas claſſes referuntur. Sed vt iſta paulò diligentius enucleemus, Diurnæ primùm dici debent, quotquot ad Solem ſe dirigunt, ſiue ſerenus, ſiue nubilus ſit dies: conuertuntur autem duplici ratione: folijs videlicet, vt Heliotropium vtrumque; Et floribus, vt Ciſtus helianthos, Chalta, Chondrila, Cichorium, & Hieracium, maximéque Indicum (de quo citra figuram in calce huius operis.) Diurnis præterea adnumerantur, quibus florum vita eſt vnius diei. Sic Liliaſphodelus puniceus florem ab ortu Solis aperit, ad occaſum vſque: quo tempore flos, cum diei lumine ſimul & occidit. Phalangij Virginiani pariter vita floris vnius diei ſpatio clauditur: Eiuſmodi flores eapropter græco vocabulo ἡμερο-καλλίδας vocare poſſumus. Nonnullis denique plantis folia interdiu latiſſimè expanſa Solis excipiunt calorem aperto velut ſinu: huius verò ſyderis abſentia occluduntur; ſiue adducta in ſeſe & contra-

cta, ſicut Phaſeolorum, Lagopodis vtriuſque, Cytiſi, Trifolij bituminoſi: ſiue etiam à mediâ coſtâ ſingula inuicem plicata, vt Glycyrrhiſæ veræ, & ſilueſtris quæ Glaux nominatur: quod ferè commune eſt cæteris quibus folia ſimili ordine digeruntur, etiamque arboribus, qualis eſt Acacia Ægyptia Proſperi Alpini, & Acacia Americana noſtra, de qua poſtea.

Contraria ratione plantæ illæ nocturnæ vocabuntur, quæ aut folijs, aut flore Lunæ ſequuntur aſtrum. Præterea quæ folijs, aut ſemine, aut ſiliquis Lunæ figuram exprimunt; folijs quidem vt Lunaria Magorum Arabum, & lunaria racemoſa; ſemine verò, vt viola Bolbonac Dodonæi; ſiliquis denique aut conceptaculis, vt hæc eadem, & ferro cauallo recentiorum: quas ob id lunarias dixerunt. Sed inter reliquas quibus nocturnarum nomen conceditur, illud ſibi maxime arrogant, quarum flos intempeſtâ ſolum nocte aut hiat, aut lucet, aut olet: Sole auferente hæc omnia. De nocte tantum florent Smilax leuis, Mirabilis Peruuiana recentiorum, Conuoluulus purpureus, & maxime Conuoluulus Aſureus, ex argumento flos noctis dictus herbariis. Harum plantarum flos Solaris eſt adeò lucis impatiens, vt diluculo ſtatim claudatur. Inter noctilucas non inſecta modo recenſentur, vt vermiculi terreſtres. Scarabæi lampyrides dicti; aut partes animantium, vt oculus Cati, ſquammę piſcium: ſed & plantæ huius generis ſunt non paucæ. Et vt quoduis lignum putre taceam, Plinijque Nyctegretum quod ignis modo lucet noctu: vni Lychnidi inhæ- *Plinius cap. 28. 21.*

rebo, quæ inde nomen traxit quòd ſit inſtar lucernulæ: tantum enim ſplendoris habet, vt iter de nocte dirigere poſſit, illaque potiſſimum quam rubello vocant flore: quæ ſilueſtris ſit licet, inſerta coronis tamen blanditur oculis, nec eorum aciem hebetat interdiu. Splendor ſiquidem ille igneus de nocte tantum micat adeóque fulget, vt inſcium quemque rapiat in ſui admirationem. Cuius ſplendoris cauſâ rectè omninò lucerna nominata fuit, veteribus λαμπὰς vt notauit D. Goupylus, etiamſi nomen illud velut adulterinum reiecerit Dodonęus. Iam verò quod ad odorem ſpectat, nullibi maior eſt naturæ laſciuia. Aliis namque virentibus nullus, vt radici Iridis, Muſco: Nonnullis verò eſt tantum virentibus, & ſiccatis omninò nullus, vt floribus Gelſemini vtriuſque, Violarum, atque Narciſſorum, quæ perditam ſemel odoris gratiam nunquam recuperant: Alia contra præarida ſine odore cùm ſint, vt lens, Cnicum & eiuſmodi, ſufferuefacta tamen ſi commanducentur, odorem colligunt, quem ad olfactum per meatus palato proximos tranſmittunt. Aliis odor virentibus eſt intimus, vt Spathulæ fœtidæ, quæ non niſi tritu aut affrictu olet: alijs extimam ſuperficiem occupat, leuique pinguedine qua folia imbuuntur concęptus digitis palpantibus aufertur, vt Geranio Moſchi Lobelij, Pimpinellæ & Rubo, odoratis. Alijs denique odor diurnus eſt, aliis contra nocturnus: vnde & ab odore plantæ non immeritò, etiam nocturnæ dici poſſunt, quibus odor familiaris noctu

eſt: Cuius generis Theophraſtus affert Heſperidem *Cap. 25.*
quæ de nocte plus redolet quam interdiu. Ac ferè *lib. 6. de*
eiuſmodi plantæ, quæ vim ſuam noctu proferunt, *cauſ. Plant.*
cum interdiu lateat, Triſtes vocantur, melancholicæque habentur. Hocque nomine Carolus Cluſius *Cap. lib. 21. Indic. Plant.*
arborem quæ peculiaris eſt Goæ, ibique *Parizataco* nominatur Triſtem appellauit, quòd non niſi à Solis occaſu vſque ad ortum eius floreat, interdiu verò minimè: eius flos quoque noctu dum expanſus eſt, flagrantia odoris quemq; rapiat. De hac arbore multa narrant, vt obſeruat Cluſius, quæ fabuloſa reor: huius verò generis nouam Geranij ſpeciem, cuius gratiâ ſuperior omnis fuit inſtituta oratio, proponimus, quod quidem Geranium eandem ob cauſam quòd noctu ſolum oleat ſuauiſſime Triſte appellauimus: Huius itaque perſtringimus Hiſtoriam redituri mox ad tantæ varietatis dictæ cauſarum inueſtigationem.

---

## *GERANIVM TRISTE.*

### CAPVT XLIIII.

GERANIVM Triſte radicem habet ex multis cohærentibus fibris, quæ in nodulos extuberant Liliaſphodeli, punicei modo. Statim à terra ſurculoſum in altitudinem palmarem exit. Caulis teres eſt, tener inualiduſque, hirſutus: nec enodis, ſed per trium digitorum interualla articu-

# GERANIVM TRISTE.



latus. Folia in vniuerſum quatuor aut quinque ex geniculis prodeũt, initio humi iacentia, ſubhirſuta, pluribus ſegmẽtis diuiſa, forma Filipendulæ: breuiora tamen, pinguiora, molliora, & ampliora multò: horum medius neruus, quem vocant coſtam purpuraſcit, cætera atrouireſcunt. Caulium faſtigio inſidet denſa vmbellæ coma. Flores nihil â cæteris ſui generis differunt forma: Quinque enim foliolis conſtant totidemque ſtaminibus, & piſtillo, vt Geranium Robertianum: color tamen buxeus eſt, ſingulaque foliola gemina velut acini macula purpuraſcens inficit. Staminibus & piſtillo ſuccedanei roſtri rudimento concoloribus. Cùm defloruit longior & acutior ſtylus prodit roſtro Gruis æmulus, in cuius baſi quinque ſunt exigua & rotunda ſeminum conceptacula (vt in Geranio Gratia Dei dicto) Alueolis maturitate aut ruptis, aut dehiſcentibus ſemina rufa, oblongaque exeunt. Flos noctu eſt ſuauitate inenarrabili, interdiu nullo: influxum enim illucentis Solis adeò aſpernari videtur, vt integro die odorem neget, cùm Lunæ acceſſu gratiſſimo odore moſchato quaſi thure libet, qui odor intempeſta quoque nocte ad Auroram vſque perſeuerat, ſtatimque ſolis præſentia euaneſcit. Sapor huic plantæ acidus, qui & palatum belle afficit, vnde inter olera recenſeri poteſt: vim namque poſſidet alimenti refrigerantis, & humectantis compotem. Apud Barbaros etiam audio radices eius, vt apud nos Tubera, Bulbocaſtanum, & eiuſmodi; gratiores inter epulas apponi. Floret integra pro-

pemodum æſtate, nec niſi incuria foliis per Hiemem omnibus exuitur.

Hanc verò plantam ex Indijs allatam communicauit mihi honeſtiſſimus vir & optimus Renatus Morinus in ſuo longe inſtructiſſimo omni Plantarum genere horto deſcribendam.

## *VARIETATIS SVPRADICTÆ cauſarum enarratio.*

### CAPVT XLV.

VT ſurdis etiam rerum mira ſunt ſympathiæ & antipathiæ veſtigia, qualia ſuperiori capite perſtrinximus : Ita & rationis ordo poſtulat, tantę varietatis cauſas inquirere, & vno aut altero dicato capite, quā fieri poterit breuiter enarrare. Cùm enim ad Solem dirigi non omnibus plantis ſit cōmune : rurſus & ad Solem expandi : imò pleræque Sole pręſente occludantur, cùm nocte hient : Aliarū vita vno die circumſcribatur, hæc profectò matura conſideratione opus habent. Arduæ enim explanationis ſunt omnia quæ natura latere nos voluit, nec niſi ea aſſiduâ meditatione contemplemur, vix quiſquam poſſit certi de tanta varietate definire : Sed vt ab ijs exordiar, quorum oculi cæterique ſenſus iudices eſſe poſſunt. Flores illi Solis tantùm præſentia hiant, & eius abſentia clauduntur, quibus planta humidiſſima eſſe dep̄ręhēditur : excoquitur enim ille

ille humor, vique caloris ad cymas allicitur, quo turgidus flos fiet eſt neceſſe: abſente verò ſole clauditur, aut diſſipato vi præcedentis caloris humore illo, qui ad florem attractus fuerat; aut præſentis defectu, non euocato nouo. Quod apertiſſimè ſenio florum eiuſmodi declaratur. Tunc enim cùm florum pori ſiccitate aſtringuntur, conſtipanturque, eorum folia non velut languida, atque vieta reſupinantur, ſed omnia vetuſtate obrigeſcunt, clauſaque manent, nec amplius à Sole aperiuntur. Idque accidit, ſeu multis conſtent folijs vt Chalta, Cichorium, condrilla: ſeu paucis vt Malua, Althæa frutex: ſeu vnico vt Conuoluulus & Iaſone Theophraſti, quæ duo fortaſſis vnum idemq; ſunt. Quòd autem iſta ſolius caloris opificio, nôn autem Solis tantum virtute perficiantur, certum eſt: Siquis enim Anemones florem, quem noctis frigus comprimere ſolet, decerptum loco calidiſſimo recondat, velut arculâ exiguâ aut pyxide fideliter obſignata, illico præter tempus aperitur; ſi modò floris pediculus aquæ tepenti immergatur: nec enim aliter ſubeſſet calori materialis cauſſa, quæ tantum ad id confert, vt vel ipſa ſola idem præſtet aliquando; cùm videlicet planta bibula eſt, faciléq; per poros in cymas petitus ab radice humor deducitur. Nec in virentibus modo id efficit aqua, ſed & in aridis plãtis & ligneis pariter operatur: quod videre eſt in roſa Hierichuntea 30. poſtquam eruta eſt anno, cuius ſi radicẽ aquâ madefacias, quę conglobatis erat in ſeſe ramulis, ſtrigoſis, aridis, & mortuis: hu-

ius illico brachia reuiuiſcunt, floſculique contracti extenduntur expanduntur que, ſtupendo quodam naturæ miraculo, quo ſolent obſtetrices parturientibus muliercculis illudere: affirmātes hoc ideò contingere, quia proximum eſt partus tempus: ſed fabula eſt, quouis in alio tempore idem accidit, modo ſubſit humor. Non aliunde etiam peti debet conuerſionis plantarum cauſa, ſeu totæ, ſeu tantum folijs Solem ſequantur: illarum namque partes infimæ caulis, quæ terræ proximæ ſunt, teneritudinis multum habent, radixq; paruula breuiſſimis fibris hæret: quo fit vt cùm Sol cymas plantæ calefecerit, humorem ab radice in cymas attrahat: hinc pars infima tenera & mollis facilè inclinatur, cùm ſuperiores humore turgidæ grauidæque deorſum nutent ad Solem.

Harum verò (cùm radix ſit firmior cauliſque, fruteſcens obrigeſcat, & in lignum ſolidetur, planta Solis minimè ſequax eſt, folijs tamē nutat in Solem) harum inquam, foliorum pediculi longiores eſſe ſolent, maximéque reperi, vt Maluæ arboreæ, Maluæ Criſpæ, & vulgaris: quo fit vt humorem quem tenuem, mobilem & vagum obtinent, in appenſa folia facilè transfundant: Sed de his ſatis, nunc de floribus qui diem vnicum durant.

## *PERENNITATIS FLORVM cauſſa.*

### CAPVT XLVI.

INTER flores qui diem tantum vnum durant, alij nocturno tempore tantum vigent (vt Conuoluulus, flos noctis appellatus, Arbor triſtis Cluſij) Alij interdiu ſolùm, vt Lilio-aſphodelus. Quorum cauſſas quàm fieri poteſt breuiter & enucleatè percurrimus. Ac primò quidem florum omnium diuturnitatis cauſa à duplici capite pendet: aut quòd nullum flori ſubſit ſemen & fructus: aut quòd flos ille aperiatur, coloreturque, non tam vberiore noui humoris attractione in flore, quàm in flore iam contenti coctione atque elaboratione perfectiori. Et certè quibus nullum ſemen ſuccedit, diuturniores eſſe ijs qui pręcipitant in ſemen in confeſſo eſt: humor enim qui ante ad florem appellebat, in locum ſubituri ſeminis diuertitur: ſic Balauſtium αἰθῶδες diuturnius eſt flore mali punici: in illo namq; totus humor impenditur floris conſeruationi; in hoc autē ferè ſtatim atque hiarit, in ſubſtratum capitulum, quod propriè cytinum vocant, reducitur, ac proindè quàm celerrimè eiuſmodi flores deficiunt. Hocque pomiferis arboribus omnibus familiare eſt, Pyris, Perſicis, Ceraſis, Meſpilis, Amygdalis etiam, & nucum generibus: præterquam ſi quibuſdam earum arborum florem Natura dederit plenioris

elegantiæ, vt Ceraſis nonnullis, Amygdalis, Malis quibuſdam Perſicis, & Myrto: Quarum ob fructuum inopiam flores diutiſſimè vigent. In herbis quoque idem obſeruatur, vt inter Lychnides, ſylueſtris rubella, Chalcedonica, Anemone etiam floribus plenis, & Roſa multiplex omnis, viuaciores ſunt ſimplicibus ſui generis. Quo ſane argumento, non ineptè florum elegantiorum cultores maiorem ſuis Tulipis diuturnitatem procurant, vnguibus præciſo ſemine, quod in earum medio piſtilli valuulis concluditur. Hactenus dictum eſt, cur flores quibus aut nullus fructus, aut nullum ſemen ſuccedit, diuturniores ſunt ijs quibus contra accidit. Nunc verò de ea florum duratione ſermo ſit, quæ aut noui humoris appulſum, aut iam in florum folijs contenti, coctionem abſolutiorem conſequitur. Cuius coctionis vt gradus ſunt varij, ita & totidem durationis florum eſſe videntur; nonnullis enim floris vigor in ſummâ eſt tenuis humoris copiâ, quem ſtatim atque Sol calidior illuxerit, radix vbertim effundit in florem: huiuſque generis flos tenerrimus eſſe ſolet, adeóque ſucco turgidus, vt ille non tritu modò, ſed quantumuis leui digitorum attrectatione exprimatur, ſpontéque velut aqua defluat: Huic flori properatius tempus eſt; vno die aperitur, eodem clauditur & perit: cùm enim ſemel clauſus eſt, amplius reſerari nequit, niſi humoris noui acceſſione, cuius cùm flos iam nimis turgidus capax non ſit, mirum videri non debet ſi eodem ille die occidat quo apertus eſt. Eoque ma-

gis id accidit, ſi flos ille nullo ſubeunte ſemine aut fructu excipiatur, nec enim humoris portio in ſuccedens ſemen impenditur, ſed totus in florem confluens eum obruit: Sic Lilio-aſphodelus Puniceus etiamſi caret ſemine, eius flos tamen vno tantum die durat. Conuoluulus autem omnis, Mirabilis Peruuiana, & Phalangium Virginianum; & inter vulgares flos Iridis, Papaueris erratici, Citruli, Cucumeris, Melonum, Cucurbitæ, & Peponis; licet aut fructus, aut ſemina ſubnaſcantur, vix vno pariter plus die durant: tum quia eorum natura in ſemina & fructum properat: tum quod eiuſmodi florum vigor humoris attractione perficitur. Nonnullarum verò plantarum florũ vigor eſt, in crudi humoris quem viridia ante eorum folia continebant, abſolutiori coctione, per quam plus aut minus imminuitur: & inter eos nonnulli pro diuerſa ratione eiuſmodi nunc 4. dies vigent, vt Narciſſus, nunc 8. vt Ranunculus, alij 12. vt Roſa, alij 15. vt conſolida regalis, alij 20. quemadmodum Caryophyllus herbarijs dictus, ille potiſſimum cui flos eſt multiplex, nec vllo ſemine conſeritur. Quibus denique floribus vigor in tanta coctionis perfectione poſitus eſt, vt non modo imminui debeat humor, ſed penitus digeri & ſiccari. Ijs flos ſæculum durat, etiam decerptus, & à ſtirpe præciſus, & in arculis muliebribus aſſeruatus: Tales Gnaphalium montanum, Gnaphalium Italicum, Stœchas citrina & eiuſmodi multæ flores proferunt, quos eapropter noſtri immortales, Græci autem nõnullos Agerata, aut Atha-

naſias nuncuparunt: ſumma quoque Amaranthi floris natura eſt in nomine, appellato quoniam non marceſcat: Hæc eadem cauſa Semina, Legumina & fructus Indicos, in coloris elegantia quauis vetuſtate inexpugnabili ſeruat, quòd videlicet eorum extimæ cutis humor, vt colorem concipiat abſolutâ debet coctione inareſcere: ſic Phaſioli omnis coloris, Indici, piſa Americana, Lachrymæ Iobi, ſemina Carthami, Pœoniæ maris, & Milij ſolaris lithoſpermi vocati: æuo enim manere huiuſmodi ſemina ſingulis diebus obſeruamus, conſertis inde roſarijs, corollis, aut torquibus ad noſtratium mulierum ornatum.

## CVR NONNVLLI FLORES *ad Solem aperiuntur, alij ad Lunam ſolum: & vnde tanta in plantis odorum diuerſitas.*

## CAPVT XLVII.

QVÆ in plantis florum atque foliorum cognatio cum quibuſdam aſtris obſeruatur: vt alij Solis præſentiâ recreentur & vigeant, alij contrà Sole ſiniſtro velut Sidere icti occumbant, cùm nocturno vigeant tempore; ſic & folia quædam contrahantur noctu adducta in ſeſe aut plicata, cùm Solis conſpectu latiſſimè expanſa maneant: Ea omninò à ſucci foliorum aut florum propriâ quadam naturâ repetenda eſt. Quibus enim humor ille qui

appellit ad florem, vt aperiatur, paucus eſt & valde tenuis, imbecillo quantumuis calore facillimè in florem adducitur: Et propterea media nocte eiuſmodi ſolent ad lunam aperiri & florere. Solem vero ferre nequeunt, qui nimio ſuo calore diſſipat humorem, quem & pauciſſimum habent, & ampliſſimo ſpatio diſſuſum: quò fit vt Conuoluulus Azureus dictus, Mirabilis Peruuiana, Althæa frutex, & ſimiles quibus flos de nocte patentiſſimus eſt, paulò poſt feruidioris Solis ortum occludantur, & velut deuſta flacceſcant. Quibus contrà plantis humor ineſt copioſus & lentus, is validiori calore indiget, vt alliciatur in florem, atque adeò cum lunæ calor non ſit ſatis, noctis etiam tempore flos eiuſmodi clauſus eſſe ſolet, hiat autem ad Solem, ob potentiorem Aſtri vim.

Quæcumque verò, lucente lunâ, in ſe plicata aut adducta contrahuntur, Solibus autem expanduntur folia: Horum tam in arboribus quam in herbis pediculi, aut ipſa etiam folia ramulis atque cauliculis per leuia tubercula articulantur; ineſt autem illis paucus quidem, ſed viſcidus humor, qui cùm Sole funditur, collapſa velut folia, & languida nutant; ſed frigore noctis concretus, dum in ſeſe cogitur, appenſum quoque folium velut rigidum contrahit.

Nec diuerſa diurni, aut nocturni in plantis odoris videtur eſſe ratio, ſi ad humoris non aquei, ſed oleoſi conditionem, quæ præcipua odoris cauſa eſſe videtur, accedat & ſubſtantiæ raritas. Hæc

enim tanti eſt momenti ad odorũ halitum, vt licet odorem plurimum habeant nonnullarũ plantarum flores & folia, quantumuis calore Solis incaleſcant: neutiquam tamen odorem effundant, nec niſi trita aut defracta olere ſoleant: Sic ſpathulæ fœtidæ folia etiam cùm ad meridianas horas dies vergit, Inodora ſunt, defracta tamen grauiſſimè fœtent. Myrtus itidem non niſi trita olet, Malus medica fructum & florem habet nobiliſſimi odoris, folia, cùm integra ſunt, penitus ignaua; defracta tamen ſuauiſſimè olent. Hanc in plantis varietatem ſubſtantiæ raritas facit. Quibus enim partibus ea eſt naturalis, illibatis & intactis, ſolâ narium admotione perſentitur: quibus contra denſitas eſt, earum odor, niſi digitis aut vnguibus violentur, detegi nequit.

Iam verò non mirum eſt, ſi rerum omnium odor in oleo facilè conſeruetur, cùm in plantis omnis odor in humore quodam aëreo & oleoſo contineatur: nec aliter ille odor adimi poteſt, quàm oleum eiuſmodi, quod eſſentiam noſtri appellant, deſtillationis arte exprimatur: Sic quæ ſubſidunt alembicis roſarum maſſæ extracta roſacea aqua odorem non ante deponunt, quàm validiori deſtillationis arte oleoſus ille vapor exſpirauerit: nonnulla ob id quoque ardentibus prunis cremantur, vt ligna Iuniperi, Abietis, Cedri, balſami. Et lachrymæ arborum, vt Thuris, Myrrhæ, Styracis. Odorum verò diuerſitas inde potiſſimum peti debet, quòd in aliis plantis humor iſte oleoſus tenuis eſt, & valdè paucus: in aliis autem ſpiſſior & multus: in aliquibus

nullus

nullus omninò: in alijs multa humiditate aquea permixtus hebetatur; quo fit vt in iis plantis & fructibus in quibus nullus eſt omninò oleoſus humor, vt in Glandis ſpeciebus; aut in quibus nimiâ humoris aquei copiâ obruitur, vt in Ceraſis, in iis nullus odor perſentiatur. Flores autem aliqui vt Gelſemini, Hyacinthi Orient. Narciſſi Iuncifolij, ſicci nihil olent, quia nimium poroſi cùm ſint euanuit omnis odor dum marceſcunt. Qui verò flores aut folia minus poroſa ſunt, vetuſtate odoratiora eſſe ſolent, vt fœnum græcũ, roſa rubra Malabathrum. Quæ cum teruntur odorem perdunt, aquâ multâ eiuſmodi perfuſa eſſe conſueuerunt, eorumque odor ob expreſſi humoris admixtionem hebetatur. In virentibus nonnullis plantis, & immaturis fructibus, vix odor percipitur, vt in radice Acori, Pomis, Pyris, Malis perſicis: hæc matura tamen odorem aſſequuntur, cōfecta ſcilicet humoris aquei vim odoris obtundẽtis per maturitatem portione. Odoribus quippe omninò interna illa aquea humiditas officit, & externa quoq; non mediocriter obeſt: per imbres enim aſſiduos, & in quibus locis eſt nebuloſus aër, & roſcidus, naturalis florum odor hebetatur: ſic cùm pluit apud nos roſæ & violæ, & apud Ægyptios flores omnes odore carent. Ac proindè rectè Theophr. odorem cùm ſapore conferens affirmat, vtrumque [illegible] conſiſtere, maléque ipſum arguere videtur Scaliger, vir ſubtilitatis exercitatiſſimæ, cùm in huius axiomatis cauillationem ſicciſſima quædam commemorat,

Id apparet in Trifolio aſphaltite Americano noſtro lege poſtea cap. 11.

quæ ſunt odoratiſſima, vt puta Caryophyllon, Coſtum vtrumque, & Cinnamomum: hęc enim ſicciſſima quidem ſunt, ſi humiditatem aqueam ſpectes quâ prorſus carent; ſed ſi oleoſum humorem, longè aliter habet: hoc enim multo ſcatent, & ſi eum aliquando vi ignis contingit extrahi, inodora prorſus manent & inſipida. Eſt autem in Cinnamomo ita tenuis, vt ſponte etiam pauco ſpatio temporis euaneſcat. Taleque Cinnamomum vetuſtate inſipidum, & inodorum, apud ſeplaſiarios noſtros, non ſine graui eorum diſpendio, nimium frequenter inuenitur.

Poſtremò tandem quibus plantis ſubſtantia floris aut foliorum rarior eſt, & odorifer humor ille, quem oleoſum diximus, valdè tenuis; per apertos meatus leuiſſimo calore, vt puta Lunæ ſyderis euocatus ſpirat fragrantiſſime: Intenſiori verò diſſipatur. Ac propterea in præſentia Solis odore carent eiuſmodi. Idque in *periqataco* Cluſij, & Geranio Triſti noſtro (de quo nonnihil Th. Iohnſon Anglus nuper vernaculè ſcripſit) & in Heſperide Theophraſti obſeruare licet. Horum enim flores, vt noctu iucunditate inſignes, ita & alio quouis tempore ſunt ignaui. Quibus contra cutis florum denſior, humorque odorifer craſſior eſt aut ſpiſſior, ille non niſi feruentiſſimo calore exhalat: quo fit vt eiuſmodi flores interdiu tantum oleant. Sed hæc ſatis, licet breuiter pro rei dignitate explicata. Fortaſſe aliquando verboſius de hiſce, & alijs plantarum obſeruationibus dicemus.

# *SCORDIVM SPINOSVM odoratum.*

## CAPVT XLVIII.

ANNVVM eſt hoc ſcordij genus ex Hiſpania nuper aduectum, quod in ſiccis & arenoſis montibus ſponte naſci accepimus, apud nos autem primo verè ſeritur. Huic caulis eſt quadratus, molliter hirſutus & multis diſtinctus articulis, à quibus ramuli emergunt ſimiliter quadrangulares, lentâq; pinguedine obſiti. Mira eſt in folijs varietas, quæ inferiorem ſitum obtinent maiora ſunt, nonnulliſque lacinijs diuiſa: qualia ſunt Triſſaginis aut Scordij vulgaris: quæ ſuperiorẽ ramorum partem occupant longè minora ſunt, minuſque diuiſa: donec tandem in extremis cauliculis nihil inciſuræ præ ſe ferant, adeò verò decreſcunt, vix vt cymæ adæquẽt Serpilli noſtratis folia. Floſculi ſparſim inter folia pullulant Scordij aut Teucrij maioris figurâ albidi, tribus tenuibus filamẽtis ab intimo calyce ortis donati. Spinulę leues, & molles aculei folijs & floribus interiacent: nonnumquam cauliculi qui in ſuo exortu folioſus & mollis erat, extremitas tandem proceſſu in ſpinam acuminatur. Floret Auguſto menſe, cùm flos lapſus eſt, calyx remanet, quo velut alabaſtrulo ſemina 4. compacta & minima conduntur. Sapor huic plantæ victus eſt; ſed eius odor inſigni

# SCORDIVM SPINOSVM ODORATVM.



*Teucrium mucronatum.*

fragrantia commendatur, ac ferè ocymo gratiam parem obtinet; radix oblonga eſt, tenuibus fibrata capillamentis. Hæc fortaſſe ipſa eſt herba quam Plinius Cunilaginem mollem vocat, de qua ita habet. Quæ Cunilago mollis vocatur, piloſioribus eſt folijs, quàm origanum heracleoticum, ac ramis, aculeatiſque; trita mellis odorem refert, digitis tactu eius cohærentibus.

Cunicula autem ſiquidem hæc vox irrepſit, Græcis Κονίλη nuncupatur, quam vocem Schol. Nicand. in alexiph. Κονίαν, hoc eſt lexiuium interpretatur, forte legens Κονίην, aut conſilio quodam inde nomen Cunilæ deducens, quaſi lexiuialem diceret, quòd ea commodiſſimè, quippè fragrantiſſima lexiuijs addatur: quæ conſuetudo apud nos etiamnum inualuit, iiſdem lixiuijs admiſcentes Iridis, aut Inulæ radices interſectas, aliaque ſimiliter fragrantia inodorandis linteis. Scordium verò ab allijs, quæ σκόροδα Græcis dicuntur nomen accepit, trita ſiquidem Scordij folia Cepino quodam fœtore digitos imbuunt, quod diuerſo eiuſdem plantæ ſynonimo δύσοσμον appellantes ſignificarunt, contraria cauſſa εὔοσμον noſtrum appellauimus.

# FVMARIA TVBEROSA INSIPIDA.



*Fumaria Cucullaria.*

# *FVMARIA TVBEROSA inſipida.*

## CAPVT XLIX.

EST & altera fumariæ Tuberoſæ ſpecies, quam inſipidam ideò appellauimus: quòd guſtanti & olfacienti omnis pene ſaporis & odoris expers eſſe percipitur. Ramoſum huic & velut pennatum folium naſcitur, tam tenui diuiſura, quam eſt Iuniperi, eiuſdem coloris eſt cum reliquis fumarijs. Pediculi ab radice ad folia vſque dilutiſſimè purpuraſcunt. Radix in duo tubercula rotundatur, quæ geminum velut teſticulum repræſentant, villis quamplurimis velut adnatâ pube veſtitum; ac ferè ea ſimilis eſt Satyrio, quod ab eadem radicis figura Cynoſorchidem nominarunt. De flore nihil ſtatuo, nec dum enim apud nos floruit, cum tamen album, eſſe intelligo. Ab eodem Canadenſi ſolo repetitur. Cæterum hanc plantam fumariæ ſpeciem eſſe nemo ambigit, qui radicem cauam nouerit, omnis fumariæ ortus tempora, radicum formas, & foliorum naturam intellexerit.

Reddenda hæc eſt Fumariæ ſpecies paginæ 59. ſubijcique debet capiti xxix. quia eo loci negligentia Typographi prætermiſſa fuit.

# *LAMIVM ASTRAGALOIDES.*

## CAPVT L.

EGREGIVM hoc Lamium ab Hiſpania allatum non repit vulgarium more; ſed velut illud quod in Pannonia creſcit ſtato ſe limite continet, reſtibili ſemper per Hyemem radice quæ capillaris eſt. Caules mittit palmares quadrangulos atropurpureos. Folia Lamij rubri colore & ſpecie, vtrimque ex aduerſo poſita naſcuntur, pari interuallo ferè diſtant: ex ſuo quæque ſinu ramulos fundunt: qui ex ſuperioribus oriuntur proceritate reliquos ſuperant, ſed folijs carent & floribus ornantur; foliorum vices explent tenues appendiculæ ſingulorum florum lateri appoſitæ, inter quas geminas ſemper ſitus eſt calyculus apprimè referens imaginem tali vulgaris, qui mulierum calceis ſuppingitur: hoc velut alueolo flos & ſemina deliteſcunt. Calyculus ille inferiori parte rimâ finditur, illac nimirum quà erumpere debet Amethiſtini coloris tubulus, qui floris loco eſt; tubulus inquam qui dum longior euadit modicè dilatatur, dumque deſinit in rictum hiat: cùm defloruit tubulus decidit, atque hiulca prius calyculi rima ſtrictè obſignatur, inibique velut in areula 4. ſemina iuxta poſita albida continentur. Totius plantæ & odor & ſapor eadem quæ Lamio, de viribus nihil peculiare compertum habemus

LAMIUM ASTRAGALOIDES.



habemus. Lamium autem dicitur, quòd vrticam referat innoxiam, morſu carentem, qualis iners, mortua & vulgo archangelica nominatur: à Plinio autem *Lamium* dicitur, ab eo fortaſſe quòd florum figura veluti cucullo laruatam lamiam quandam repręſentet, vt credit Dalechampius. Cæterum vires illæ apud eundem Plinium integro capite reperiuntur. Adeò efficaciter autem lieni obſtructo mederi dicitur, vt inde Itali, apud quos vernaculo ſermone Milza ſplenem ſignificat, Milzatellam appellauerint. Noſtram autem Lamij ſpeciem eo efficacius idem præſtare conijcimus, quo præter odorem & ſaporem, & partium ſimilitudinem Lamio vulgari congenerem, florum accedat color violaceus, redolens quidpiam ſpleni magis ſympathicum, ac melancholico humori dicatum: namque à coloris ſimilitudine conſortes quoque vires venari licet, vt teſtatur Galenus de ſimpl. Med. facultatibus, & illuſtrat ſeminis Cnici exemplo. Vide Ioan. Baptiſtam à Porta, in ſuæ Phytognomonic lib. 2.cap. 39. & cap. 18. lib. 1.

*Cap. 15. lib. 21.*

*Cap 14. lib. 22.*

*Cap. 25. lib. 3.*

## *TRIFOLIVM ASPHALTION Canadenſe.*

### CAPVT LI.

FRVTEX hic ad cubiti altitudinem in America Septentrionali attollitur, virgam habet tenuem, iunceam, atropurpuream, quæ ſtatim ab

# TRIFOLIVM ASPHALTION CANAD.



infima parte παραφυάδας hoc eſt ramulares propagines emittit, Summitate in plures diducitur, à quibus folia loto arbori ſimilia prodeunt, acutiora tamen & anguſtiora, qualia ὀξύφυλλα Dioſcorid. nominare conſueuit; leuiter etiam hirſuta ſunt, ac velut oleoſa pinguedine obſita: ex vno longiori pediculò naſcuntur. Hæc, vt dixi, c. 47. defracta, aut ex attritu non olent, verùm cum leuius attrectantur, oleoſus hic humor digitis apprimitur moleſtus grauitate odoris, qui quidem odor in nouella planta Rutæ eſt, in adultiore hirci, aut bituminis: cuiuſque rami extremum flos occupat purpureus, vt in ſcrofularia tribus exertis foliolis conſtans, & vno ſemper intus reflexo, quod poſtremum ſuperant tenuia filamenta tria albo apice donata. Floris foliola intus alba ſunt, licet à tergo purpurea ſint. Flori ſuccedunt ſiliquæ digitum longæ, æquè quàm folia hirſutæ, oleoſæ, virides, extremo purpureę, in quibus alueolis diſcreta conduntur ſemina lata, oblonga vt cytiſi, medio ſinu excauata, vt faba purgatrix, aut renes animantium: quo fit, vt intortum veluti corniculum efformet. Radix longa, fibroſa, inſigni feruore prædita eſt, ac ferè pari acrimonia linguam mordicat, qua Anemone. Annua eſt, & non niſi ſatu perennat. Cœterum à nemine hactenus proditum fuit Trifolium, quod ſuis omnibus partibus Trifolio bituminoſo à Dioſcoride allato aptius reſpondere videatur: nulla ſiquidem eſt in noſtro Trifolio particula, ſiue folia, ſiue florem, ſiue ſemina, aut caulem ſpectes, quam non delinearit ad vnguem

Ex relatione Domini Robini nec enim licuit ob frigus intempeſtiuum videre.

*Cap. 123. lib. 3.*

Dioſcorides: nam quod atropurpureos ramulos dixerimus, cùm ſimpliciter nigros ille deſcripſerit, hoc parum eſt, nec ferè apud auctores diſcriminis alterius, quàm quòd ſaturatioris aut dilutioris coloris ſit. Sed cùm odoris & coloris præſtantia locorum ratione contingat ex Theophraſti ſententia ὃ δ' ὅλον ὥσπερ ἐλέχθη καὶ ἡ εὐοσμία καὶ ἡ εὐχροία παρὰ τοὺς τόπους ἐστίν· vt habetur cap. 6. lib. 6. Hiſt. Plant. cauſam huius rei eſſe arbitror, quòd hæc Trifolij ſpecies apud nos velut extorris viuat: ac proinde ſicut in iuſtam magnitudinem vix adoleſcit, itaque completam fructus eius maturitatem, neque viuidum caulis & flores eius colorem adipiſcuntur.

Matthiolus Iconem vnius plantæ dedit pro Trifolio bituminoſo Dioſcor. quæ præterquam quod nec caulem, nec ſemina, nec florem oſtentet, folijs etiam nullatenus reſpondet: ſiquidem rotundiora ſunt, quàm vt oxytriphylli nomen mereantur. Accedit & quòd nullam illius deſcriptionem fecerit, quaſi ſatius exiſtimaſſet de incognita ſibi herba tacere, quàm temerè quidquam enunciare. Dodonæus aliud trifolij genus dedit, quod bitumen olet (nam huius generis plures ſunt ſpecies.) quam ſæpè etiam in hortis noſtris obſeruaui: huic caulis eſt viridis, flos cæruleus vt Scabioſæ compactus in globulum. Sed his notis plurimùm diſſidet à Genuino Dioſcoris trifolio, cuius non modo caulis niger eſt; ſed etiam flos purpureus. Allucinatur etiam grauiſſimè, cùm purpureum colorem interpretatur

cæruleum. Sequutus omninò Ruellij ſententiam, & non audito Galeno, qui lib. de Theriaca ad Piſonem, Trifolium vere cùm floret Hyacintho ſimilem eſſe teſtatur: at hyacinthus veterum non cæruleus eſt, ſed purpureus, eâque purpura tinctus, quæ in rubrum tendit; ſiquidem flos eſt ex Aiacis cruore æditus, vt vult Ouid. Fab. 6. lib. 10. Metaph.

Cap. 4.

*Tyrioque nitentior oſtro.*
*Flos oritur, formamque capit quam Lilia, ſi non*
*Purpureus color his, argenteus eſſet in illis.*

Vbi aduerte Tyriam purpuram rubram eſſe ex Vitruuio. Hic enim auctor eſt purpuras pro ſoli proprietate alium atque alium habere colorem: Apud Tyrum quidem rubrum; circa Africam autem Puniceum ſuccum emittere. Idem confirmat Plinij auctoritas, liquor purputarum nigrantis roſæ colore ſublucet. Sanguinis color purpureus eſt apud Virgilium.

Lib. 9. cap. 36.

*Purpuream vomit ille animam, &c.* & 11. Æneid.
*Labitur exanguis, labuntur frigida letho*
*Lumina, purpureus quondam color ora relinquit.*

Vnde videtur natum purpuriſſo verbum quo vtitur Plautus in Truculento.

*Iſtas buccas tam belle purpuriſſatas habes.*

Cap. 26. lib. 22.

Refert Plinius Hyacintho pro cocco hyſginum tingi in Gallia, coccus autem rubrum pingit, non Cæruleum. Et ſanè æquum eſt lapidem Hyacinthum quem vocant, ſic appellari quod floris Hyacinthi herbæ colorem referat, quod ſi ita eſt cùm Hyacinthus lapis ad obſoletum rubrum tendat, &

vini quodammodo colorem imitetur. Cuiuis ergo apparet, & Hyacinthum purpureum & Trifolium bituminoſum, quod ex Galeno flore colorem Hyacinthi refert, nullatenus ad Cæruleum tendere colorem; ſed omninò ad rubrum. Non negauerim tamen purpureum colorem aliquando pro violaceo ſumi poſſe, vt cum purpureæ dicuntur violæ: idque obſeruauit Plinius dum triplicem purpurei coloris facit differentiam, vnius in roſâ vulgari, ſecundi in viola, tertij in malua; nam & ex purpurâ quæ circa Africam reperitur, & puniceum & violaceum colorem tingi notauit Vitruuius: qui color Cornelij nepotis tempore vigebat; fiebatque potiſſimùm cùm vetuſtate collaberetur purpurarum ſucci vigor ille puniceus, cui ſucco diutius aſſeruando, cùm ſumma & peruigili cura opus eſſet, ne ſitum contraheret, ob eam cauſam & magnopere commendabatur purpura violacea, nec minore pretio quàm Tyria aut Punicea æſtimabatur: Sed Cæruleum colorem dici purpureum nunquam obſeruauimus. Nolim tamen affirmare hoc Trifolium noſtrum, verum eſſe Trifolium Aſphaltion, ſiue bituminoſum Dioſcoridis: licet nullum fuerit hactenus inuentum cui magis quadret allata à Dioſcorid. deſcriptio, vt conferenti perſpicuum erit: idque potiſſimum, cùm ad ſemina & folia & florem, & colorem, quibus fere omnes deſcriptionis Dioſcoridis notas accedat & qualitas veneno aduerſa, huic plantæ noſtræ tam à natiuâ proprietate inſita, quàm & ab inſigni calore, viqùe attractrice quâ pollet ſum-

*Plin. cap. 8. lib. 21.*

*Cap. 123. lib. 3.*

mâ. Niſi fortè hoc Trifolium noſtrum alibi naſcatur, quàm in Americâ: vnde venire in cognitionem Dioſcoridis potuerit: quod nemo hactenus obſeruauit: licet id crebro in plantis accidat, vt varijs & maxime diſtantibus regionibus, eædem omninò generentur à natura, quæ vt vbique eadem eſt, ita & vires ſuas æqualiter vbique diffuſas eſſe aliquando demonſtrat. Sic Glaux exigua, quæ maritima à Dioſcoride dicta fuit, in continenti reperitur, eamque ſæpius Meudoni, in ſicciſſimis & editiſſimis locis collegi; fortaſſe ita fuerit de hoc Trifolio, quod alibi fortè natum & vidit & deſcripſit Dioſc. Nemo enim eſt tam rudis, vt ignoret Dioſcoridis ætate nondum Americam, nedum Canadenſem regionem detectam fuiſſe.

---

## *COLCHICVM VARIEGATVM.*

### CAPVT LII.

RIGVIS maximè pratis gaudet Colchicum omne; quanquam & ſiccanea non auerſetur, illudq; potiſſimum genus, quod ex Inſula Chio differtur, hoc enim cultu aut nullo aut leuiſſimo contentum eſt. Cur autem fritillare dictum fuerit, ab ijs, qui eius figuram citra Hiſtoriam dederunt nuperrimè, non facile capio. Nam cùm huius flos fritilli in modum quo teſſeræ agitatæ mittuntur in alueolum latiſſimè non ſit excauatus, imò fundum habeat

## COLCHICVM VARIEGATVM.



habeat perangustum; aptius, vt videtur, Colchicum variegatum appellari poteſt.

Autumno ſtatim ineunte, ſuper terram flos emergit mille variegatus maculis, dilutè purpuraſcentibus, quadratis, & in quincuncem diſpoſitis, vt in Meleagride Dodonæi. Sex ille folijs componitur, ſingulis ineſt albeſcens quædam vena, quæ per eorum medium ab infima parte ad mucronem vſque prorepit. Filamenta ſex longiora cæruleis apicibus donata, à cauitate floris oriuntur. Bulbus huic plantæ pro radice eſt, tunicas habens plures, coloris ex nigro rufeſcentis, interior multâ bombace munitur: conſpicuum id eſt, ſiquis delibret. Poſt florem folia fert atrouirentia, anguſtiora, & breuiora noſtratium. Æſtate media ſeminibus turget rufis, quæ ſiliquæ coriaceæ, virides, cellulatim coërcent: nullas habet peculiares vires, quibus ſupra cœtera Colchici genera commendetur.

Colchicum autem à Colchide dictum, in qua vt in Meſſenia plurimùm naſcitur (vt ait Dioſcorides) qui vulgare Colchicum exactè depinxit, ne fortè ſaporis voluptate imperitos falleret, Præſentiſſimum alioquin venenum, quod fungorum perniciosorum more ſtrangulando enecat, niſi tamen effectum occupaueris lacte bubulo largè poto. *Lib. 4. cap. 84.*

De hoc Colchico noſtro nihil hactenus Authores prodiderunt. Sunt autem & alia permulta, quæ in hortis noſtris obſeruantur, Colchici genera, quæ raritate inſignem florem edunt; triplicemque eorum differentiam hic ſubtexere operæpretium eſſe duximus.

Primum ergo flores habet lacteo candore inſignes, qui variis colorum picturis luxuriantur, venis nonnullis excurrẽtibus, nunc diluta purpura, nunc ſaturatiore tinctis. Apparet etiam in foliis huius plantæ virentibus ſimilis varietas, quod & in Tuliparum genere, & (vt ſemel dictum ſit) in reliquis plantis omnibus, quarum flores quos ſtriatos noſtri vocant ſimili varietate commendantur, obſeruare licet. Colchicum ſtriatum.

Secundum verò Colchici genus & florum minore copia, & innumera prope foliolorum ſerie à reliquis diſtinguitur. Nuncque languidè, nunc vero obſcurè purpuraſcit. id Colchicum flore pleno ea propter appellamus. Colchicum flore pleno.

Tertium denique in pratis Palleſiacis, vt poſtea indicabimus, ſparſim vulgaribus permixtum inuenitur. Huic flos eſt Amaranthinus, floriſque pediculus, qui in cæteris ſpeciebus albicat, purpureo colore inficitur. Colchicum amaranthinum.

---

## DE MILLEFOLIA *tuberoſa.*

### CAPVT LIII.

IIs apvd quos ſtirpes proſequendi laus viget, id imprimis, arbitror, cauere debent, ne dum apertis inambulant campis vel minimam herbulam negligentius prætereant: nam multæ quotidie incredibileſque differentiæ pedibus pro-

culcantur, ob affinitatem quam cum ſimilibus primâ fronte præ ſe ferunt: quas ſi propius intueremur, aut etiam erueremus, alias ſæpè, aut ſaltem in aliquo diuerſas nemo noſtrum non deprehenderet; hoc mihi ſæpius initio contigiſſe ingenuè fateor: verumtamen poſteà cùm paulò diligentius rei herbariæ incubui, vt ardere hac exercitatione cœpit animus, ille & oculos & manus, nares & palatum in conſilij ſui ſocietatem adſciuit: ita vt nullam poſtmodum plantam offenderim, quæ eruta hiſce ſenſibus non ſubijceretur. Neque verò aliter exacta haberi poteſt plantarum cognitio, teſtãte Galeno cap. 3. lib. de Theriac. ad Piſonem, quot enim ſunt herbæ quæ variant partibus ijs quæ terrâ occuluntur, cùm ſint eædem alijs quæ prominent? exemplo fuerint Cynoſorchis, & palma Chriſti: Valeriana & Nardum Montanum: Ranunculi ſpecies inter ſeſe, aliæq; quamplurimæ. Saporis ratio diſcriminis pondus non leue affert; ſed primas tenent vires eximiæ, non illæ tantum quæ ſapore deteguntur, ſuntque velut in propatulo cuilibet expoſitæ, ſed illæ quas vt quid maximè pretioſum auara natura penitiore earum ſinu vt gazophylacio condidit, noluitque mortalitatibus niſi longâ annorum vſurâ per experimenta promi, vtpote quibus nullum eſt cum ſaporibus commercium. Experientiam itaque (non inertem illam, ſed eam quæ ratione fulcitur) vt arbitror potiorem eſſe trutinam, quâ quæ priſci vtriuſque linguæ auctores de plantis expreſſerunt, veræne ſint, an fabuloſa ponderentur: ita & vnicâ eſſe

viam cenſeo, quæ nos in plantarũ ab ijs traditarum cognitionem deducere poſſit; ac proinde Dioſcorides, Iulio Baſſo, & Nicerato, & Petronio, & Aſclepiadi minus aſſentiendum ſuadet, in pręfatione libri primi, qui τὰς τῶν φαρμάκων δυνάμεις, καὶ δοκιμασίας, ἐξ ἐπιδρομῆς παρέδοσαν, οὐ τῇ πείρᾳ τὴν ἐνέργειαν αὐτῶν κανονίζοντες, qui medicamentorum vires probationeſq; curſim cõplexi, nullo experimento eorũ effectus cõprobarunt. Sic lieni accõmodatum Splenium fortuna detexit, euentus comprobauit, ratio ſtabiliuit: huic claſſi Alyſſon, Phalangium, Alimus, Pœonia, & aliæ adnumerantur, quæ tantum experimentis vera eſſe comperimus: Sed de millefolia ſtratiote, quam Achilleon veram eſſe nonnulli cum Plinio contendunt, longè aliter habet. Nemo enim eſt Antiquiorum, qui non ipſi aſtringendi vim concedat, & ſingularem ſanguinis vndecumque fluentis ſiſtendi facultatem, ac proindè eam (inquit Plinius) vt vulneribus pręcipuam cum ærugine in vulnus Telephi decutiens Achilles pingitur, Dioſcorides idem cenſet lib. 4. cap. 103. Millefolium ſtratiotes quod χιλιόφυλλον vocant; ἔστι δὲ αὐτὴ ἡ βοτάνη σφόδρα ἀγαθὴ πρὸς αἱμορραγίαν, καὶ ἕλκη παλαιά, &c. Galenus libr. 7. de ſimplicium Medicament. facult. ſub nomine Millefoliæ ait ξηραντικῆς ἐστιν εἰς τοσοῦτον δυνάμεως, ὡς κολλᾶν τραύματα. Et libr. 8. ſub nomine ſtratiotis terreſtris, quæ mellifolia eſt. Habet, inquit, τι στύψεως ὥστε διὰ τοῦτο καὶ τραύματα κολλᾶν δύναται, ἔνιοι δὲ αὐτῷ καὶ πρὸς αἱμορραγίαν χρῶνται. Cùm tamen, quod nemo hactenus obſeruauit, con-

*Galen. è 3. lib. de Theriac. ad Piſonem.*

*Cap. 5. lib. 25. nat. hiſtor.*

MILLEFOLIA TVBEROSA.



trariam vim ipſi ineſſe experientia comprobarit; Naribus enim indita, non longè poſt ſanguinis ſtillicidium infert, ac ſi diutiùs contineatur hæmorrhagiam ciere conſueuit, proindè feliciſſimo ſucceſſu ipſam addere ſoleo medicamẽtis, quæ ad menſtrua, aut lochia ſuppreſſa componuntur, ſiue enematis aut apoſematis, aut topicis; quin etiam ipſa perſe locis inſerta plurimis opem attulit: ob eamque cauſam Naturam exiſtimo tantâ copiâ ipſam humanis vſibus expoſuiſſe, vt nullibi non naſcatur, ſolo reſtibili, fœcundo, macro, ubique; ſed maximè in ſiluis recens detonſis aut ſaltem, non opacis. Ex quibus colligitur verum Dioſcoridis χιλιόφυλλον ſtratiotes Millefolium vulgare non eſſe, aut certè, quod exiſtimo, Dioſcoridem & Antiquiores potiùs ex ſaporibus deductas vires expreſſiſſe, quàm eas quæ experientia multis poſt ſæculis demonſtrauit.

Apud nos autem in ſuburbano nemore quod Bononiacum vocant, Millefolia creſcit, quam fortuitus caſus detexit. Huic radix eſt tuberoſa nucis auellanæ aut Ponticæ magnitudine, ac ferè in eiuſmodi tubere naſcitur animalculum, colore viridem inter ac cæruleum medio, quod millepedam refert, adeò exile & exiguum, vix vt oculis deprehenderetur, niſi lucidiſſimo ſplendore intermicaret: Quo factum eſt vt initio exiſtimauerim, tuber illud ab eſu eiuſmodi vermiculi ineſſe huic plantæ, ſed cùm etiam in hortum meum tranſtuliſſem, occiſo vermiculo, ferè anno poſt craſſius tuberculum obſeruaſſem, meis quoque amicis accuratis ſtirpium obſer-

uatoribus communicaſſem, diuerſam eius ſtatuimus eſſe à reliquis differentiam in ſolo tamen radicis diſcerniculo poſitam.

## ALTHEA ROSEA PEREGRINA
### *forte roſa Moſcheutos Plinij.*

### CAPVT LIIII.

PLANTA hæc quam Africa genuit, quotannis ex viua radice longa, alba, lenta, circa Maium menſem erumpit: caules habet rotundos, virides, medulla plenos, vno verbo maluaceos; folia ſunt ſubrotunda, & aliquo modo Cyclamini, propius tamen Mori noſtratis folia referunt, pronâ parte molli & tenui lanugine caneſcunt, oleæ foliorum inſtar, ſupinâ aliquanto magis virent. Cuiuſque caulis faſtigium globulos virides admittit non paucos, qui ſinguli & ſingulis pediculis teretibus innituntur, & quamplurimis foliolis oblongis & anguſtis omni ex parte circumdantur: oriuntur hæc foliola à baſi globuli, diſtant inter ſe aliquo interuallo, egregioque ordine diſpoſita, velut cancellis eundem globulum obſepiunt, qui dum maturitate dehiſcit, in quinque partes ſinditur, alueoque ſuo condita quinque fundit latiſſima folia, quæ roſeum florem exprimunt, ſimilem, atque etiam ampliorem Maluâ roſeâ Lobelij. In huius floris vmbilico ſtat panicula albida, piſtillo tenui fulta, qualis in floribus

# ALTHÆA ROSEA PEREGRINA.



*Hibiscus moscheutos. L.*

floribus Althęæ fruticis conſpicitur. Hæc Althęa quam vocamus roſeam, florem edit in fine Auguſti roſæ ſimilem: vt certè videatur eſſe illa roſæ ſpecies, quam Plinius concisâ breuitate, vt ſolet, ſubindicauit potiùs, quàm deſcripſit, c. 4. l. 21. ſuæ Naturalis Hiſtor. Hancque Moſcheuton vocat: quod verbum, Gaza interprete apud Theophraſtum, viuiradicem ſignificat, quale epitheton noſtræ Althęæ valdè competit. Quamuis enim reliquæ roſarũ ſpecies, quæ malleolis panguntur, ita nominari poſſint; quia tamen non radice tantum, ſed & ſtipite viuaces ſunt, huic vni autem ſingulis annis frigore intermoritur quicquid ſupra terram eſt, caulis, folium, flos; ſolaque ſuperat hyemem radix, quæ quotannis circa Maium menſem nouis partibus, nouis veluti membris repubeſcit; ideò Moſcheutos præ cæteris appellari meretur. Cæterum vt quiuis intelligat, quàm apte ſuis partibus noua hæc roſa Plinianæ reſpondeat, lubuit ſubnectere Plinij verba, *Alia Roſæ ſpecies funditur è caule Maluaceo, folia oleæ habente, Moſcheuton vocant*, & poſtea inter roſas odore carentes recenſetur. Caulis noſtræ Althææ Maluaceus eſt, folia quoque ſunt oleæ, non figura quidem, ſed canicie ſimillima; præterea odore vacat; florem roſeum habet; nouamque ſingulis annis formam induit; coronamentis additur. Ac proindè non abs re, quis hanc Althęæ ſpeciem, Moſcheuton roſam appellauerit. Iam vero vt noſtræ nomenclaturæ rationem reddamus, Certiſſimum eſt hanc plantam maluaceam eſſe ſilueſtrem; Hæc

*Cap. 4. lib. 21.*

enim à ſiluis Africanis, ob floris gratiam, tranſlata ad hortos noſtros vno abhinc, aut altero anno fuit. Silueſtris autem malua, inquit Dioſcorid. Althęa vocatur. Cuius vocabuli rationem reddit, διὰ τὸ πολυωφελὲς καὶ πολύχρηστον αὐτῆς, quòd inter primas ſit vtilis, plurimiſque polleat pręſidijs. Et Plinius Ariſtalthęam nominauit, quòd omni ex parte bona ſit, & intus ſumpta, foriſque appoſita pariter auxilietur, ἀπὸ τοῦ ἀλθαίνειν, aut ἄλθειν, aut ἀλθῆν quæ verba mederi ſonant: Quamuis autem de viribus huius nouæ plantæ nihil compertum habeamus, quod publico demus; arbitramur tamen in iiſdem quibus althęa valet pręſtandis, eſſe ſingularem.

---

## *RAPISTRVM MAXIMVM rotundi-folium Monoſpermon.*

### CAPVT LV.

MAXIMVM vocamus hoc Rapiſtrum eo quòd omnes huius generis ſpecies ſuperet foliorum amplitudine: hæc verò ſunt Raphani modo, extrema parte rotunda, & ambitu crenata: ſupinâ varijs aſperitatibus in ſpinulas ſetaceas leuiter extuberant, amplitudine palmari. Circa caulem ſubnaſcuntur his vtrimque, in eodem pediculo minora.

Caulis ad duo cubita eleuatur, ſtriatus, anguloſus, vt folia hiſpidus, in multiplices ſurculos

# RAPISTRVM MAX. MONOSPERMON.



*Crambe hispanica. L.*

diuiditur, in quibus longè minora, quàm in Caule folia glomeratim aggeruntur, & ſine ordine locantur: ſunt enim illa & magnitudine, & figura vrticæ græcæ ſimilia: onuſti ſunt ſurculi innumera florum propagine, adeò vt integrâ vigeant æſtate: flos ex rotundo capitulo ſubflauo in quatuor candida foliola ſeparatur, inter quæ tenuia filamenta & piſtillum viride, cum apicibus luteis apparent. Cuique flori ſuccedit ſemé vnicum, paruum, ſubflauum, rotundum, rotunda quoque capſulâ membranacea coriandri magnitudine incluſum: quamuis initio dum viret, paulo longior appareat; per maturitatem tamen orbicularis eſt figuræ. Et ea propter à ſingularij ſemine, Monoſpermon appellauimus (quaſi epitheto, ob eandem cauſam *braſſicam marinam* inſigniri voluit Turnerus) quòd videlicet non vt vulgare Rapiſtrum, longioribus ſiliquis plura ſemina contineat, ſed vnicâ eâque, vt dixi rotunda, vnicum tantum. In Hiſpania naſcitur.

---

## *RVBVS ODORATVS.*

## CAPVT LVI.

HVIVS fruticis radix Rubi vulgaris modo, per ſumma ceſpitum vagatur. Folia fert ex longo pediculo leniter hirſuta, latiſſima, in angulos exeuntia; ſeu vt Theophraſtus ait, διακαθίζοντα τε ἐκ τοῦ ἄκρου καὶ ἐκ τῶν πλαγίων, hoc eſt, quæ cùm extremo

# RVBVS ODORATVS.



*Rubus odoratus*

tum, lateribus ſinuata conſidunt: vno verbo ἀγνώ-δη: hoc enim vocabulo peculiarem iſtam foliorum figuram, quæ viti, aceri maiori, & rubo de quo ſermonem habemus communis eſt, Theophraſtus explicat. Quamquam cap. 18. lib. 3. Rubo folium tribuat ἀγνῶδες (malè enim quicumque huius nominis loco ἀχνῶδες, ἰχνῶδες reponunt, corruptè etiam legitur apud Athenæum ἀγνώδης, vt aliquando demonſtrabimus, ſi *Deus* dederit) quod nomen ἀγνῶδες, non tam Rubi folio, quàm diuiſuræ proprium eſt: ſunt enim Rubi folia quinque ſinubus, & pluribus aliquando ad pediculum vſque diuiſa, ſimili prorſus modo ac in vitice accidit, quam Græci λύγον, aut ἄγνον appellant, vnde deductum nomen ἀγνῶδες φύλλον, folium viticeum. Sed iſta obiter & ad Theophraſti mentem aperiendam, quam nemo vnquam aſſequi poteſt, niſi qui in cognitione ſtirpium tam indigenarum, quàm exoticarum verſatiſſimus ſit. Sed vt ad propoſitum redeam, elegantiſſimi huius Rubi folia fragrantiſſima ſunt, paremque agrimonio odorato aut pimpinellæ odoratæ ſpirant odorem; ſine ordine circumpoſita ſunt caudicibus, qui plurimi & ramoſi ab radice ſe attollunt, ſarmentoſi, flexiles, medulla pleni, ſpinis vacui, molliter hirſuti: nudantur folijs autumno, præterquam in cacumine; cymæ etenim in Hyemem vſque prorogant moras, quo tempore & ipſæ cadunt, vnaque & areſcit caulis, nec enim Hyemis inclementiam patitur; ſed quotannis renouari ſolet. Flores fert in ſummo, magnitudine & figura roſæ ſimplicis,

quam caninam vocant: nam & in Rubo quoque prouenit roſa, inquit Plinius; quo fit vt veteres κυνόσροδον idem eſſe ac κυνόσβατον exiſtimarint, cùm Dioſcoride cap 124. libri primi, quamquam à neotericis toto cœlo diſtinguantur. Cæterum roſeus iſte Rubi noſtri flos, quinque folijs ſinuatis conſtat, colore eſt dilutiſſimæ purpuræ violaceæ, in calicis medio ſui mille luteos apices complectitur, vt roſa, ſucceditque tandem fructus, vulgaris Rubi Hortenſis figura, non adeò gratus ſapore, ſed forma ſimilis, ἐκ πυρήνων καὶ ἐμπλήσιος τῇ τῆς ῥόας, vt de vulgari inquit Theophr. hoc eſt vt interpretor, ex granulis Rubris compactus, vt malum punicum. Nec enim ſatis appoſitè ad Theophraſti mentē, nonnulli hanc Rubi ſimilitudinem cum malo granato eruunt à Cytino, hoc eſt vt Celſus vocat à mali punici capitulo, quod Cælius Aurelius ambulacium aut ampullacium latinè dici teſtatur; quamquam huius rei nullam faciat mentionem Theophraſtus. Malim itaque potius de pomo Rubi, quàm de putamine roſæ caninæ, quod vernaculè *grato-cul* vocant, interpretari; eſt enim pomum Rubi quamplurimis acinis & granis Rubris ita congeſtum, vt malum granatum exempto cortice perbellè referat.

*Cap. 18. lib. 31. Hiſtor. Plantar.*

CAPVT

# *NARCISSVS PVMILVS Indicus Polyanthos.*

## CAPVT LVII.

HVIC Narciſſo, quòd infelicius creſcat, nec vltrà palmum eius caulis adoleſcere conſueuerit, pumili nomen dedimus.

Radix eſt carnoſior, maiorque bulbus: folia octo aut nouem, palmum longa, lata pollicem, glaucè virentia, non recta vt reliquorum, ſed modicè flexuoſa, iuxta terram nata obliquè prodeunt. Inter quæ non medius caulis, ſed relictis ad latera folijs, nudus & liber erumpit. Hic non rotundus vt reliquorum, ſed ſemunciam latus, poſtquam medij palmi proceritatem impleuit, membranam turbinatiorem, quâ velut capite clauditur, aperit; apparetque tandem eximia nouemdecim, aut viginti florum vmbella, qui pro ſoli cælique ratione languidius aut ſaturatius rubeſcunt. Singulis eſt Colchici pratenſis & figura & magnitudo: ſex enim conſtant folijs, quæ ab anguſtijs in latitudinem paulatim ſeſe laxant. Foris ſinus ſecundùm eorum longitudinem fertur, qui & in ſubiectum flori capitulum producitur, tot pariter criſtis extuberans, quot folia ſinis excauantur. Sex ſtant in medio filamenta longiora apicibus cęruleis donata. Subſunt quibuſque floribus pediculi triangulares, hi cùm inter ſe

NARCISS. PUMILUS INDIC. POLYANTH.



caulis in apice committuntur, admirando prorſus ordine diſpoſiti, naturale, ſed vix imitandum Icoſaëdrum formant. Flos quoque vt aſpectu, ita & ſuauitate eſt inenarrabili; præcocior eſt etiam reliquis: floret ſiquidem ante Arcturum; octiduo poſt autem apud nos ſemine viduus collabitur.

Narciſſus maior Indicus præcox.

Maioris autem Indici Narciſſi duplex apud nos obſeruatur differentia. Alter quippe floribus eſt præcocioribus, ex rubro candicantibus, & odoratiſſimis: caule dum ſemina matureſcunt vireſcenti.

Narciſſus maior Indicus ſerotinus.

Alter verò florem edit poſt Arcturum, longè rubentiorem, ſed ignauius odoratum: caule ſemper atropurpuraſcente. Communem autem habent florendi modum, ſiquidem vtriſque caulis exit ſine folijs, ſubnaſcentibus tantum elapſo flore. In eoque maxime differunt à pumilo antea deſcripto, cuius non ſolùm vno eodemque tempore caulis & folia prorepunt, ſed etiam per Hiemem tabido caule, eadem virere perſeuerant: imò nunquam ea marceſcere niſi per extremum quiſquam obſeruauit. Differentiam facit & caulis, quem illi nunc geminum, nunc etiam triplicem, ſemper verò teretem habent, cùm ſit huic vſque ſingularis, & in amplitudinem lateſcens. Eadem tamen omnibus radix, bulbus ſcilicet vnus, mollis & carnoſus, multis obductus tunicis, quæ ſiccitate (Eriophori bulbi modo) in ſericeam lanuginem diſcerpi poſſunt; ſubſunt verò maiores fibræ quibus altiùs infixis velut oſculis bulbus humi teporem ebibit.

Has omnes plantas, etiamque proximo capite ſe-

quentem, vt inter liria aut Narciſſos (quæ duo apud Theophraſtum vnum idemque ſunt) commodiſſimè numerari poſſe cenſemus, ita & liliorum generi nullatenus aſcribendas teſtamur. Ac in eo ſequimur Theophraſti mentem, qui quatuor affert in vniuerſum proprietates Narciſſorum generi communes, quas in lilijs nemo repererit; hæ verò familiares ſunt noſtris indicis Narciſſis. Prima eſt quòd cùm ſatorũ omnium ac proinde liliorum, τὸ φύλλον ἀνατέλλει πρῶτον· εἶθ' ὕστερον ὁ καυλός. Narciſſus contra caulem prius, deinde folia promit. Secunda à radice petitur, quæ Narciſſo eſt περιφερὴς κατὰ τὸ σχῆμα τοῦ βολβοῦ πλὴν οὐ λεπυρώδης. Lilijs autem bulbus ſquammata velut agglutinatione compingitur.

*Cap. 12. lib. 7. Hiſt. Plant.*

*Ibid.*

Tertia à ſitu foliorum humili, & quarta à tunicis quibus flores Narciſſorum concepti ante partum includuntur. Narciſſus enim τὸ μὲν ἐπὶ γῇ φύλλον ἀσφαλῶδες ἔχει, &c. τὸν δὲ καυλὸν ἄφυλλον μὲν, καὶ δὲ ἄκρου τὸ ἄνθος, ὃ ἐν ὑμένι τινὶ, καθάπερ ἐν ἀγγείῳ, &c. folium Albuci terræ proximum gerit, habet caulem ſine folio, florem ſuo ferentem cacumine, in membrana veluti vaſculo incluſum largè. Lilium autem & folia per vniuerſum caulem habet diſpoſita, & flores apertos nullaque ante vagina incluſos.

*Cap. 6. lib. 6. Hiſt. Plant.*

A Narce autem, & ſtupefactoriâ facultate Narciſſus dictus eſt, non à fabuloſo puero.

*Cap. 19. lib. 21. Plin.*

# *NARCISSVS IAPONICVS rutilo flore.*

## CAPVT LVIII.

INTER omnes Narciſſos qui hactenus inuiſi apud nos extiterunt, prima vt arbitror auctoritas nobiliſſimo huic generi debetur; quod paucis ab hinc annis ex Iaponia allatum, ſtrenui admodum & nullis ſumptibus parcentis viri Ioannis Morini cultura, tandem in florem proſiluit ſeptimo menſis Octobris, anno Domini 1634.

Spectabilis thyrſus per initia nudus folijs, paulatim ſe in pedis altitudinem ſubrigit, ſuperiore parte virens, infernâ mille atropurpureis notis infuſcatus. In cuius faſtigio nouem aut decem florum gemmæ totidem petiolis hærentes, in vmbellam diſponuntur, quę prius oblõga & rotunda quadam vagina membranacea celabantur. Hæ dum florem patefaciunt, in ſex folia diduci ſolent; Si potiſſimum planta hæc reſoluta, & pingui humo ſeratur: nam ſi ſiccâ aut confectâ poſita ſit, ſoli macies plerumque nonnullos vno aut altero folio mutilat. Quod omnibus fere floribus familiare eſt, qui ab exteris Regionibus, aut ſaltem extra natale ſolum transferuntur: quorum integritati & elegantiæ non minimum ſoli macies detrahit: Hæc namq; fructus etiam natura dulces in acerbos, & læues in hiſpidos

# NARCISS. IAPONICVS RVTILO FLORE.



*Amaryllis sarniensis. L.*

vertit. Groſſulæ fidem faciunt, quarum pomum ſpinis vndique aculeatum nuper vidimus; licet huic id tantum generi peculiariter ingenitum affirment. Quanquam certum ſit plantas omnes, vt culturâ & opimæ terræ adiectione feritatem omnem deponunt, ita & facilè eandem aut incuriâ, aut ſoli ſiccitate reſumere. Singula ergo cuiuſque floris folia duas vncias ſunt longa, admodum anguſta, & exiguâ veluti lacunâ ſulcata: iuxta floris centrum breui acumine gracileſcunt; extrema parte inflexa reſupinantur (pro more Lilij Montani, quod Martagon vocant) Color floris eſt Cinnabaris, aut laccæ elegãtioris, venâ ſanguineâ tamen lacunarum media diſcriminãte: Sex ſtant in medio filamenta folijs longiora & pallidius rubentia, totidem apicibus atropurpureis ornata. Vnus odor abeſt, eius defectum natura ſuppleuit viuacitate coloris, quem non modo pigmentorum mixturæ artificio quiſquam aſſequi nequit, ſed nec vllis hactenus floribus ſimilem conceſſiſſe naturam obſeruatum eſt. Nam præter eximium hunc colorem, quo intuentium obtutum hebetat; ſi fortè ſerenus dies affulſerit, floremque radijs ſol meridianus illuſtrauerit, mille velut ſcintillas euibrat, quas pertinax oculus, inconniuenſque, vix momento ſuſtineat. Groſſulæ aculeatæ.

Subeſt bulbus prioribus ſimilis: folia verò non niſi edito caule erumpunt: quorum color non glaucus, nec obſcurus, ſed grata viriditate renidet.

## *ORNITHOGALON LVTEOVIRENS Indicum.*

## CAPVT LIX.

QVAMVIS à flore lacteo Ornithogalon, aut Ornithogale herba, vt Plinianũ loquar, deducta eſſe videatur; Verumtamen huius quoque ſpecies nonnullæ florem edunt croceum, qualem in pago Iuryaco iuxta Sequanam reperiri Enchiridium noſtrum indicabit. Nihilque vetat quominus natura varietatis ſtudioſa, coloris etiam alterius alibi produxerit, quibus non floris albedo, ſed effigiei ſimilitudo Ornithogali nomen conſeruat; Niſi fortè, quod ſanius interpretatur Dalechampius, Ornithogalon potius dictum fuerit à lacteo candore bulbi, figuram ouorum auium referentis, quàm à flore, qui cum auibus aut auium partibus cognationem nullam habere videtur.

Ornithogalum itaque noſtrum quod ex Indijs accepimus, primùm floruit in horto nunquam ſatis laudato D. V. Robini menſe Septembri 1633.

Huic Caulis & folia ſimul emergunt longa, lata, vt Pannonici, ſimiliter etiam ſulcata. Caulis inter hæc medius vltra pedalem longitudinem aſſurgit, rotundus, glaber, virenſque; hunc tenuis veluti glauci coloris halitus ſuffundit, qui leuiore tactu defloratur, vt in prunis integris, vuiſque præmaturis videre licet.

A medio

# ORNITHOGAL. LVTEOVIRENS INDIC.



Albuca major L.

A medio ferè ad apicem vſque floſculorũ globulis ſpicatur, adiectâ quibuſque folij appendiculâ cuius cauitatibus flores ſinguli celantur, ad modum granorum in ſpica triticea, quæ gluma ſolet obtegere. Id quod familiare eſt vulgari noſtro Ornithogalo. Paulatim globuli ſe è cauitate illa ſubducunt, ſubiectique eorum pediculi longius producuntur, vnaque cum flore deorſum nutant: flos tandem luteouirens dehiſcit ſex folijs cõſtans, quorum tria externa latiſſimè expanſa luteo colore fimbriantur, tria verò interna in ſe compreſſa manent, vt Leucoij minoris verni, & mucrones habent intrò reflexos, quibus ſtamina alba cum apicibus luteis reconduntur: tria verò his interpoſita ſtamina apicibus carent. Piſtillum triangulare medium floris occupans, ſeminibus paruis turget: huius in apice mollis ſtat epiphyſis, quæ cum flore marceſcit. Nunquam floris huius folia vento aut vetuſtate decutiuntur, ſed in ſe contracta & occluſa tabeſcunt.

## PLANTAGO MAXIMA *Hiſpanica, quam Hiſpani cauleſcentem vocant.*

## CAPVT LX.

HOc genus plantaginis, quod Hiſpania gignit, mirâ foliorum amplitudine, & thyrſi proceritate luxuriat. Pedalis illa ſunt longitudinis,

# PLANTAGO MAXIMA HISPANICA.



latitudinis ſemipedalis, excurrentibus non paucis, vt in vulgari plantagine, per longitudinem neruis; nec non & ſubſtrato ſingulis folijs palmari pediculo latiore. Thyrſus in duo cubita plerumque ſurgit: flores, ſi magnitudinem excipias, noſtratium ſunt omninò ſimiles. Radix pariter multâ fibrarum copiâ conſtat. Totius plantæ folia, cauliſque ex viridi colore obſcurè rubeſcunt. Floret apud nos ſub exitum Septembris. Refrigerat impensè, minus tamen aſtringit; huius quippe laxa admodum eſt, & pinguis ſubſtantia, nec niſi humecta loca deſiderans.

## *SISYNRICHIVM INDICVM V. Robini.*

## CAPVT LXI.

ELEGANS hoc Siſynrichij genus, nuper ex Indijs Orientalibus accepit D. V. Robinus. Huic radix bulbacea, Nuculæ magnitudine, Croci effigie Myſiaci, quam incolæ lubentius eſitant (ſicut eiuſdem etiam generis indigenas Hiſpani opiliones edunt, quas Noſelhas appellant, vocabulo vernacule auellanam ſignificante) Poſtrema æſtatis parte, quam oporan vocant, flores fundit in ſingulis caulibus nunc ſingulares, nunc etiam plures, ſex folijs variè coloratis compoſitos: Interna ſiquidem pars cærulea eſt, circuloque flauo diuiſa, dorſum autem mediâ & infimâ parte cineraceum; media verò

## SISYNRICHIVM INDICVM.





*Hypoxis*

quæ in mucronem porrigitur, languidè cæruleum. Elapſo flore ſemina in folliculo ſubrotundo & carinato, vt Gladioli, concepta ſubnaſcuntur. Folia vt Iridis bulboſæ, aut Aſphodeli lutei minoris, teretia ſunt, & per longitudinem ſtriata, modicéque in terram reflectuntur.

## *SOLANVM TRIPHYLLVM Canadenſe.*

## CAPVT LXII.

VT herba Paris noſtras, quæ paſſim inter ſiluas Meudonenſes riguis maxime locis reperitur, ſolet ab herbarijs Tetraphyllos nominari, quòd quatuor omninò folijs conſtet: Eadem ratione & hanc Canadenſem plantam, quæ ſuperiorem apprimè refert, tribus tamen folijs tantum preditam, Solanum Triphyllum appellauimus.

In pedem ſurgit Cauliculus, teres & viridis, qui in medio ſui tribus folijs aduerſis inter ſe, latioribus & in obtuſum mucronem deſinentibus, coloriſque obſcure virentis intercipitur. Vltra hæc enim nudus tranſilit caulis, qui in ſummo florem vnicum geſtat, ſex folijs conflatum, quorum tria ſubiecta tota viridia ſunt, & breuia: tria verò ſuperiora longiora, & latiora atropurpuraſcunt. Naſcitur in eorum medio pomum exiguum, quod maturitate pullum & nigrum redditur, ſeminibus paruis Solani horten-

## SOLANVM TRIPHYLLVM CANADENSE.



Trillium erectum

L

ſis æmulis turget. Sapor huic dulcis. Radix non per ſummam tellurem errat vt noſtras, ſed in tuberculum conglobatur.

Huius flos colore nonnunquam variat, Candidus ſiquidem reperitur. Ineunte Maio floret, Iunio Bacca matureſcit. Iulio pręter radicem omnia deficiunt.

---

## SOLIDAGO MAXIMA *Americana.*

## CAPVT LXIII.

VT nullibi non vulnera infliguntur corporibus, aut vlcera innaſcuntur; ita prouiſum fuit à natura, vt vbique creſceret immenſa præſidiorum ſeges, quibus hæc incommoda propulſarentur. Inter quæ efficacius nullum inuenitur herbâ quam barbaro vocabulo Solidaginem appellant. Quæ quòd cruentis illita vulneribus ſingulari ſit auxilio, nihilque commodius vulnerum oras glutinet & confirmet, ſeu vt aiunt inductâ cicatrice conſolidet, inde Solidaginis nomen accepit, quam veteres Græci Symphytum aut Sideritim vocabant. Quamplurimæ verò Solidagines ex varijs regionibus aſportantur, quas enumerare mei non eſt inſtituti; neque enim hic de omnibus plantis, ſed de nondum editis eſt ſermo. Vnam ergo huius generis ſpeciem ex America allatam propono, quæ caule multiplici, rotundo, glabro, leuiterque purpuraſcente, in tantam

# SOLIDAGO MAXIMA AMERICANA.



*Solidago sempervirens.*

IMAGE EVALUATION
TEST TARGET (MT-3)

6"

Photographic
Sciences
Corporation

23 WEST MAIN STREET
WEBSTER, N.Y. 14580
(716) 872-4503

tantam proceritatem attollitur, quantam cubita tria aut quatuor implere ſolent: Circa quemque folia ſubpinguia, & ſine ordine hinc inde diſponuntur, formam habent ſingula Saponariæ, aut Plantaginis aquaticæ, minus tamen denſa ſunt, nam aduerſo ſole intuenti mille velut foraminulis pertuſa apparent, quod fibrarum criſpitudo facit, nec magis inde ſcabra ſunt ad tactum, attenſæ ſiquidem membranæ planicies aſperitates illas velut læuore quodam perpolit & exæquat; quô fit vt ſplendidè admodum vireant. Flos adeo ſerotinus eſt apud nos, vt ſæpius hyeme præoccupatus, velut fœtus in ipſo vtero ante partum elidatur: ſi verò aut æſtas plurimùm deflagrarit, aut intempeſtiui calores autumno inceſſerint, paniculam promit verius quàm florem, luteam, nec niſi tubulis & filamentis per floccos prodeuntem, ac non longè poſt maturitate in Pappos abeuntem. Radix numeroſâ fibrarum copiâ contexitur. Ineſt plantæ ſapor iucundus, odoratuſque, citra acrimoniam calefaciens, nec parum habés aſtrictionis; quô fit vt inter Conſolidas ſiue Solidagines non poſtremum locum habere mereatur: confertque ad id etiam ſubſtantiæ ratio, quam viſcidam atque glutinoſam obtinet. Peculiaris in huius plantæ partibus viuacitas obſeruatur: exſectus namque ramulus ſine aquæ præſidio diu vitam ſeruat, nec etiam ſi è lacunari ſuſpendas inareſcere deprehendes, quin contra longiùs excreſcere tandemque liberius in florem proſilire animaduertes: pari modo ac ſi matri

continuus eſſet. In eo namque velut in Aizoo, in Aloë, aut Telephio inferiora folia marceſcunt. Sicque eorum ſuccus cedit in ſuperiorum alimentum.

## *ACACIA AMERICANA Robini.*

### CAPVT LXIV.

ACACIA frutex eſt in Ægypto naſcens, aculeatus, flore albo, ſemine Lupino ſimili, in lobis & folliculis contento; cuius ſumma vis eſt ad refrigerandum, maximéque aſtringendum efficax. Alterum huius genus in Cappadocia & Ponto prouenit, ſemine in ſiliquis trichôris aut tetrachôris, hoc eſt, ternûm quaternûmq; ſeminum capacibus concluſo. Viribus hoc genus longè inferius, ſuperiori eſſe tradit Dioſcorides. Proſper Alpinus Acaciam ab Ægyptijs Sant aut Κακία appellari, & in montibus Synai copioſiſſimam reperiri teſtatur. Multa etiam refert de lachryma huius arboris, quæ gummi Arabicum in officinis vulgò nominatur: florum figuram depingit, cuius non meminerat Dioſcorides; Sunt inquit parui admodùm, lanæ floccis & Platani fructibus forma planè ſimiles. Vno verbo nihil aliud eſſe videntur, quàm parua lanugo in globulum efformata. Colorem habent, inquit, flores arborum quæ Cayri aluntur pallidum, aut flauum: album verò quæ in Arabiæ montibus creſcunt. *Cap. 134. lib. 1.* *Cap. 4. lib. de Plant. Ægypti.*

ACACIA AMERICANA ROBINI.





America Septentrionalis nec huius generis arbore caret, quæ etiam tranſlata in hortos noſtros non infeliciter adoleſcit: adeo vt intuentes floris elegantiâ, foliorumque ordine concinno plurimùm oblectet. Arbor itaque eſt caudice amplo, & duro; cortice nitido & ſubnigro, nec ſpinis armato, vt Ægyptiacæ aut Cappadocicæ, ſed læui. Firmiſſimis radicibus hæret. Cacumina longè latéque diffunduntur, multiplicibus diducta ramis, teneris, medulloſis, aculeis crebris & acutis horridis. Obſerua tamen aculeos non rotundo ſtylo minaces, vt Rhamni; ſed ex baſi in amplam latitudinem compreſsâ, acutè gracileſcentes; vt Rubi aut ſentis Caninæ. Folia in eodem neruo ſunt vtrinque dena aut octona, vno ſemper extremũ nerui claudente. Peculiaris eſt in eis noctis ſenſus: ſtatim enim ſub veſperum in ſe adducta per media plicantur, donec ſequenti die Sol poſtliminio reuerſus aperiat. Floret Auguſto: flos albus eſt, Piſo ſimilis, in vuam compoſitus, vt Cytiſi, non adeò tamen fragilis, nec deorſum nutans, ſed ſe in ſublime erigens. Succedunt ſemina Lenticulæ ſimilia, quæ ſingula ſingulis nucleis duris admodum, & ex omni parte echinatis clauduntur. Florum & ſeminum in naturali magnitudine poſitorum vuas, vt & icones folij tam patefacti, quàm & occluſi ad latera arboris in tabellâ delineari curauimus.

Totius arboris foliorum ſuccus, aut ligni decoctum, vi ſummâ ad refrigerandum & aſtringendum eſt.

# PIMPINELLA MAXIMA CANADENSIS.



*Sanguisorba Canadensis*

*L.*

## PIMPINELLA MAXIMA *Canadenſis.*

### CAPVT LXV.

RADIX vaſta & fibris carnoſioribus diducta, caulem facit, vere deſinente, procerum, rotundum & articulatum geniculis, à quibus egerminant ramuli plures, ex interuallis foliis donati, Pimpinellæ noſtræ maioris effigie & colore ſimiles. Cauliculorum apices non in globum, aut in glandem abeunt; ſed mille floſculis in longiorem ſpicam compoſitis faſtigiantur. Flores alternis vicibus hiant, aperiuntur inferiores primi, ſuperiores poſtremi: ſinguli quatuor foliolis crucis modo aduerſis inter ſe conſtant, & vaſculo adnectuntur ſubrotundo, quatuor ſinubus ſulcato, velut plicati aut contracti marſupioli rotundi ſinus referentes: ab huius cauitate tres aut quatuor apices funduntur. Flos ex viridi ſubalbeſcit. Sapor, odor, color, nullatenus à vulgari noſtrate differunt, ac proindè in iis immorari diutius ſuperuacuum eſt, reliqua ſatis manifeſta ſunt, potiſſimùm cùm ad viuum delineatam huius plantæ iconem oculis legentium ſubiiciam.

## *CEREFOLIVM LATIFOLIVM Canadenſe.*

## CAPVT LXVI.

SVFFICIET Cerefolij huius iconem genuinam demonſtraſſe, omnes enim noſtratis Cerefolij particulas ad vnguem refert, ſed plenioris incrementi cauliculum facit & cymam. Flos itaque albidus muſcarij effigie ſummum caulem occupat, hunc ſequuntur ſemina longiuſcula, ex vno pediculo plura. Caulis fragilis, & tener glaucéque virens vltra cubitum adoleſcit. Folia ſena ſemper ex ſingulis pediculis prodeuntia, in ambitu inciſa Petroſelini modo, latitudine & longitudine quadruplò ſuperant noſtratis. Tertio à ſatu anno moritur; ſemine perennat tamen, quod ſtatim atque decidit, etiam non obrutum ſponte terræ infigitur, & germinat: nec enim noſtri inſtar agrum lætum & ſtercoratum deſiderat: ſed in qualicumque terrâ, ac vel crudo, vel effœto ſolo ſi ſeritur, prouenit.

Sapor huic dulcis eſt, odorque non inſuauis; ac proinde eſculentum teſtamur: ſed & aliis oleribus permixtum gratiam auget ſaporis.

CERE-

# CEREFOLIVM LATIFOLIVM CANADEN.



Z

*Scandix dulcis Muhlb.*

# ACONITVM HELIANTHEMVM Canadenſe.

## CAPVT LXVII.

FRVTICOSVM hoc Aconiti genus folia habet, quæ ab radice germinant, latiſſima, atrouirentia, ac ferè triſulca. Quæ verò cauli adnaſcuntur, ſeptem aut nouem, atque etiam quo ſuperiora, eò pluribus profundioribuſque diuiſa laciniis. Multis caulibus vltrà proceritatem hominis adoleſcit; hi in plures diducti ramulos extremitates habent luteis floribus ampliſſimis onuſtas. Flos vt plurimum decem aut duodecim folijs oblongis conſtat, interpoſito ſingulis non leui ſpatio; ineſt medio vmbo quidam, qui totus ſeminibus obducitur, ita figuratus, vt ab imo latior, in anguſtum verticem exacuatur: huius baſim cingunt coronæ inſtar intermedia maioribus foliola viridia. Quæ omnia ſedulò demonſtrat ea floris figura quam ſeparatim ampliorem ſculpi curaui. Radix craſſa, & carnoſa, Aconiti more in plures quoque fibras exit, latiuſque ſpatiari ſolet, niſi diligenter præcidatur eius incrementum quotannis. Porrò maligna vis, & deleteria huius plantæ qualitas, hominum ſaluti omnino infenſa, teſtatur eam ad Aconiti claſſem eſſe referendam.

# ACONITVM HELIANTHEMVM CANAD.





*Rudbeckia laciniata L.*

# AQVIFOLIVM ECHINATA *folij ſuperficie.*

## CAPVT LXVIII.

TAM notum eſt aquifolium vulgare, quàm quod vbique, & in ſiluis, & inter vepres eſt frequentiſſimum: tum arcendo à clauſtris pecori, tum obuiis quibuſque furibus repellendis accommodatum. Huius fruticis ſæpes ſunt tutiſſimæ: & licet eius rami caudexq; , vt arbuſtorum Rhamni, Cynoſbati, & ſentis caninæ, rigentibus ſtylis non armentur; foliorum tamen ambitus ſpinulis acutiſſimis fimbriatur: quibus obnitentis cuiuſque facillimè tranſitus inhibetur. Materies etiam antiquiſſima ſemper fuit in vectibus, in manubriis bipaliorum, aliiſque eiuſmodi vtenſilibus ruſticis; eamque cæteris lignis vetuſtiores rei ruſticæ autores prætulerunt. Superuacuum itaque fuerit in eius cuius iconem proponimus aquifolij ſpecie deſcribenda diuagari: nec enim à vulgari diſtat ligni duritie, corticis læuitate, fructu, radice: ſed ſolâ foliorum figurâ, quæ non ambitu modo, ſed & totâ quoque ſuperficie ſcabra ſunt, & ſpinis horrida.

# AQVIFOLIVM ECHINATA FOLII SVPER.





*Ilex aquifolium. L.*

# *VITIS LACINIATIS foliis.*

## CAPVT LVIII.

LICET infinitæ vitium differentiæ antiquis cognitæ fuerint, quas etiam nonnulli proprijs nominibus expreſſerunt, alij verò prudentius innumeris & confuſis nomenclationibus ſtudioſos demorari noluerunt: nemo tamen eſt qui non intelligat à fructus differentia fuiſſe natas eiuſmodi nominum varietates. Nunc verò promimus nouam, & nulli hactenus cognitam vitis ſpeciem, cui non fructus, ſed folium ab omnibus alijs differentiam facit. Vua ſiquidem huius & racemi poſſunt, & ad eſcam, & ad effuſionem deponi, & ſunt hyemis tempore durabiles vt aliarum omnium, ſed tantæ eſt apud nos raritatis, vt nemo non potius totius plantæ conſeruationi, quàm vino ab ea petito conſulat. Et eapropter cum nullius ferè ſit incommodi patiens, caloribus verò minus contriſtetur: ſolent noſtri iuxta parietes diſponere, quâ parte maximè Sol plenius calorem vibrat. Huic lignum eſt ſarmentoſum, gemmis vtrinque per æqualia ſpatia diuiſum: ex quibus aliæ palmitibus egerminant, aliæ in flores abeunt Vitis noſtræ ſimiles: hi ſi euanidi fuerint contortos tranſeunt in vitices, quibus velût clauiculis proximis perticis ſe maritat. Sequitur flo-

VITIS LACINIATIS FOLIIS.



*Vitis laciniosa. L.*

rem vua albula, grano minore, acinis albis, interdum iiſdem carens. Sed quod præcipuum in hac vite habetur folium eſt, crebris ſcilicet profundioribuſque laciniis extenuatum.

## *FASEOLVS PVNICEO flore.*

## CAPVT LXIX.

VIx differunt à faſeolo vulgari huius plantæ elegantioris partes: folium enim ex longo pediculo prodit, trinum ſemper & ex latiore baſi in obtuſum mucronem retunditur: coloris obſcurè virentis, interdiu expanſum, in ſe de nocte, & ſub ſeram veſperam contractum: frequens inter plures cauliculos, qui numeroſi ab exigua & fibroſa radice pullulant, teneri, viticei, adeoque inualidi, vt pedamentis indigeant, quibus acquieſcant & ſuſtineantur. Flos etiam figura ſimilis vulgari, at colore longè diuerſus: vulgaris etenim candidus eſt, hic verò puniceus & durabilis: quem ob coloris præſtantiam non dedignantur nobiliores matronæ noſtrates ſertis & coronis intexere. Siliquæ falcis in morem contortæ ſubnaſcuntur, quibus Faſeoli Fabæ Græcæ modò, ſubrotundi & nigri nec nitida cute obducti, ſed obſcura concluduntur.

FASEO-

# FASEOLVS PVNICEO FLORE.



Aa

*Phaseolus vulgaris β coccineus. L.*

# *THALIETRVM CANADENSE.*

## CAPVT LXX.

IN Canadenſi ſolo naſcitur Thalictro ſimilis bicubitalis planta, folioſior tamen, floriſque elegantioris, quæ caulibus ab radice multis fruteſcit, atropurpureis, geniculatis per interualla; quibus & hinc inde plures adnaſcuntur cauliculi, foliaceâ quadam valuulâ candicante à primario caule ſeparati. Folia hoc Thalietrum habet Aquilegiæ & ordine & figura ſimilia, colore tamen glauco diuerſa. Flos in cacumine, muſcarij ſpecie, globulis multis dilutè purpuraſcentibus conflatur, qui dum dehiſcunt, ſinguli in quinque folia diuiſi, mille alba filamenta oſtendunt, quibus luteus apex præficitur. Iulio menſe ſingula filamenta dum deficiunt, in totidem ſemina degenerant, longiuſcula triangulariſque formæ, extante quadam per ſingulos angulos epiphyſi membraneâ. Sapor totius plantæ dulcis eſt, radixque dentibus præmanſa, & linguæ appoſita, ſubſtãtiæ pinguioris & viſcidioris eſſe ſentitur, cum pauca admodum acrimonia. Glutinandis vulneribus præſens eſt remedium, ſi contuſa apponatur: ex aquâ coctà ſuppurationem molitur.

NSE.

ilis bi-
que ele-
uteſcit,
quibus
oliaceâ
e ſepa-
: & or-
diuerſa.
multis
dehiſ-
le alba
ræfici-
ficiunt,
riangu-
s angu-
plantæ
linguæ
eſſe ſen-
cinandis
a appo-
ur.



## THALIETRVM CANADENSE.



Thalictrum cornuti. L.

## *AGEM LILAG PERSARVM.*
### *ſiue Lilac inciſo folio.*

## CAPVT LXXI.

QVOD arbuſtum ex Perſide nuper allatum Gelſeminum appellant, mihi omninò Lilac aut ſyringæ ſpecies eſſe videtur. Siquidem & lignum medulloſum, cortexque læuis, flos & ſemen id ſatis ſuperque oſtendunt. Flos in botrum congeſtus confectâ brumâ temperius ſtatim hiat, ſuauiſſimè ſpirans, purpureique coloris. Gelſeminum non niſi ſub finem ęſtatis florem edit ſingulis ſeparatum cauliculis, & nunquam in vuam compoſitum. Gelſemino præterea ſemen carnoſa cute obtegitur: Lilac verò omnis generis ſiliquis duris, exiguis & mucronatis reconditur. Sapor quoque differentiam facit, qui Lilac initio ſubaſper, tandem ſub finem leniter aſtringens: Gelſemino amarus, acer, & mordicans ac ſummoperè aſtringens.

Poſtremo Agem lilag ab incolis audio vocitari, quaſi ipſi nominarent florem Perſicum, per anthonomaſiam. Agem enim Perſidem ſignificat vt Ligag florem. Frutex eſt ergo nunc trium, nunc quatuor cubitorum longitudine, ligno molli, ſubalbo, multáque intus medulla alba repleto: cortice pullo, aut fuſcè rubente, milleque punctulis ſubluteis maculato. Radix ſubeſt lignoſa & fibroſa, vt

## AGEM LILAG PERSARVM.





*Syringa persica L.*

Punicæ. Varietas eſt peculiaris in folio, quod in humiliori ramulo Gelſemini diuiſurâ laciniatur; in editiori autem ſine laciniis eſt, refertque quodammodo Liguſtri vulgaris folium, cui magnitudine & figura eſt ęquale. Biferum eſt, primus flos ante ſolſtitium racematim cohęrens dilutè purpuraſcit, efflatque odorem, vulgari noſtro longè ſuauiorem. Alterum floris tempus eſt ſerus autumnus, (quanquam apud nos id accidat rarò, & ſi quando contingit tunc temporis in florem proſilire, non ille perfectus eſſe ſolet, nec pari copia ſubnaſcitur.) Excipit florem ſiliqua breuis & latior quæ acumine extenuatur, vtrinque lineolâ diſcreta, quâ parte per maturitatem media diffinditur. Appareτque ſemen ſubnigrum vulgari ſimile, ſed minus.

---

## *EVPATORIA FOLIIS Enulæ.*

## CAPVT LXXII.

FVIT hic quondam ambitus nominibus ſuis plantas adoptandi, & hoc olim feciſſe Reges teſtatur Plinius, inter quas vt cæteras ſileam Eupatoria Regiam auctoritatem habet, (adeo vt æqualis tunc cenſeretur gloria herbam inueniſſe, & vitam iuuaſſe) huic enim inuentæ, quamplurimis morborũ generibus vnicè auxiliâti, nomen dedit Eupator Rex.

Hanc vero fruticoſam plantam iiſdem viribus

EVPATORIA FOLIIS ENVLÆ



*Eupatorium purpureum L.*

prēditam, & flore non diſſimili ornatam eodem nomine inſigniuimus. Caules huic glabri rubeſcentes (cinereo tamen colore ſuffuſi) rotundi, inanes intus, per interualla geniculis interſecti. Folia palmari longitudine ſunt, latitudine triunciali, Saluiæ modo ſcabra, in ambitu ſerrata, non inciſa quinquepartitò vt Cannabinæ, fuſcè virentia, à geniculorum tuberculis quaterna ſemper, aduerſa inter ſe Cruciatæ modo naſcuntur. E cuiuſque folij ſinu ramulus exoritur, breuioribus tamen foliis cinctus, neque vnquam in florem proſiliens. Radix cohærentibus vaſtioribus implexa eſt fibris. Nulli Eupatoriæ caulis procerior, qui æſtate media in quinq; cubita eleuatur; comantibus in cacumine mille floſculis, non foliaceis, ſed lanugineis (qualem florem Theophraſtus χνοώδη ſolet appellare) vno verbo ſi odorem excipias Eupatoriæ Cannabinæ noſtræ ſimilibus, licet paulò ſaturatius purpuraſcentibus. Hos excipiunt ſemina papposa, quæ cum villoſa ſua cæſarie à vento decutiuntur. Saporis eſt aliquantulum amari, ſubeunte momento poſtea leui acrimonia: quo fit vt ſoluendis obſtructi iecoris meatibus prēcipuum habeatur: pituitam namque fundit, ſubducitque per aluum, robur pariter viſceribus addit: ac ſi ore contineatur diutius ſaluiam prolicit non paucam.

*Cap. 21. lib. 1. Hiſt. Plant.*

BELLIS

## *BELLIS RAMOSA VMBELLI-fera.*

### CAPVT LXXIII.

QVI flos pratenſis, albus, & aliquatenus rubens, paſtillicantibus quinquagenis quinis barbulis eſt coronatus: non fuit in vſu apud Græcos auctores, vt arbitror. Theophraſtus enim & Dioſcorides, Galenus & cæteri, qui proximi ab eorum morte de plantis ſcripſerunt, de eo flore ſiluere omnes. Plinio inter Latinos Bellis, aut Bellius dicitur. Cuius nominis cauſam vt inueniant, non parum deſudant recentiores. Pet. Perrottus dici exiſtimat à funeſtis 50. Beli Danai regis filijs, quæ Belides vocabantur: hæ fabulis dicuntur nuptiarum die, ſingulos viros ſuos vino & venere ſopitos, iugulaſſe. Quia vero Bellis per geminum L. pronunciatur, malim à pulchritudine floris quaſi bellulas, deriuari. Niſi forte melius quiſpiam Bellium florem, quaſi bellicum à Bello dici credat; quòd Belli tempore maxime huius probetur efficacia in curatione vulnerum, quibus nihil in Bello frequentius eſt. Cùm enim ad frigidam & ſiccam huius herbæ temperaturam accedat & ſubſtantiæ foliorum craſſities, mirum videri non debet, ſi præſtantius nullum ab herbariis præſidium huic muneri dedicetur (qui eius vſum eapropter compoſito vocabulo, licet bar-

# BELLIS RAM[illegible]A VMBELLIFERA.



*Aster annuus.* L.

baro deſignantes, Conſolidam mediam vocauere: alij verò longè aptius ſymphytum medium appellant. Eius enim folium prępingue impoſitum, vulnerum labia vnit, & cicatrice obducit; ſuccus inditus aut linamentis exceptus, inflammationi quæ ſuperuenire ſolet validè obſiſtit. Sed & ad omnes ceruicis dolores, tumoreſque quacumque in parte illinitur, ſtrumas diſcutit, podagras lenit, in feruentium inteſtinorum cruciatibus vtiliter injicitur. Vlceratis bibendus datur. Denique ad omnia propè incommoda, quæ belli certamina inuehere ſolent, natum hoc vnum fuiſſe videtur præſidium, quod præſto eſt, & ad manum vbique.

Aduecta eſt autem ex America nuper Bellis, quam vmbelliferam appellamus, quòd huius flos, non vt aliarum, in vnoquoque caule ſingularis naſcatur, ſed in vmbellam ſe ſpargat. Seſquipedalis herba eſt, radice minutiſſimis contextâ fibris, folijs longiuſculis, pinguibus, aſperis, obſcurè virentibus, crenaturis ambitus elegantiſſimè laciniatis. Caulem habet pariter ſcabrum, pullulantibus omni ex parte ramulis, quibus in apice numeroſa florum copia creſcit, Bellis minoris effigie, denſioribus tamen barbulis medium Luteouirentem orbiculum concinnè ſtipantibus: barbulæ nunquam rubeſcunt, vt noſtratis, ſed immaculato ſemper candore ſunt inſignes. Obſeruandum quoque, quod pictura fideliter expreſſit, ſingulos flores ſingulis ſuſtineri pediculis, qui licet ab eadem cauliculi parte prodeant, diuerſæ ſunt & inæqualis ſemper longitudinis. Flos Iunio, Iu-

lio, & Auguſto viget, ambitus poſtea marceſcit, medius orbis in ſemen formatur, caulis tandem & plantæ pars omnis areſcit: nec niſi ſemine vegetari, quod à ſatu duodecimo ferè die germinat: nouella planta hyemem ſuſtinet. Siccæ quidem eſt temperaturæ, ſed non parum caloris habet; guſtata linguam acriter pungit, eamque amaritudine inficit non ingratâ; neſcio quid enim aromaticũ præ ſe fert, cuius odoris halitus cerebrum ferit, è quo pituitam crebrâ ſpuitione ſubinde per os exigit. Vt propterea minus efficacem arbitrer vulneribus perſanandis, quàm vlceribus: his enim incredibili celeritate, ſeu vetera ſint, aut noua medetur. Sordida quæcumque expurgat ſuccus ex melle inſtillatus, puluis inſperſus putria exeſt, caua denique explet, ſi cruda & contuſa indatur.

## ANGELICA LVCIDA Canadenſis.

### CAPVT LXXIV.

INTER ſiluarum aprica duæ Angelicæ ſpecies offenduntur, quarum alteram lucidam, atropurpuream alteram appellamus. Nec enim viribus à noſtrate differunt, ſed proceritate, aut colore tantum: harum ergo breui attextâ cuique narratione iconem proponimus.

Angelicæ lucidæ vix cubitum implet caulis, nul-

# ANGELICA LVCIDA CANADENSIS.





Angelica lucida

L.

lâ tenui medullâ repletus, niſi in ijs ſpatiis quibus ille nodis intercipitur ad foliorum exortum: foliorum pediculi teretes, iuxta caulem in latitudinem membranaceam expanſi nodos tegunt, caulemque amplexantur; mox producti longius in quamplurima folia, ſaturè virentia, ambitu ſerrato, deſinunt: foliis ſplendida viriditas ineſt, (qualem inducto gelu per hiemem reliquarum plantarum folia contrahunt.) Flores albidi non Angelicæ aut Imperatoriæ noſtræ modo in orbem conglobantur, ſed velut Aniſi vmbellam formant: quos ſtatim excipiunt ſemina minus foliacea vulgaribus. Radice nititur craſſâ, quæ in fibras etiam pinguiores exit. Statim atque decidunt ſemina, caulis areſcit, vnáque planta commoritur, vt noſtras. Semina colligunt, aſſeruantque in vernum tempus aliqui: alij ad præcipiendam hiemem ſtatim obruunt, ſicque ferè ante Arcturum nouellæ plantæ germinant, poſſuntque pleniùs ante hiemem conualeſcere. Angelicæ ſaporem redolet, acriter linguam exurit, ſudores mouet, ſaliuam ciet, vno verbo ad eadem eſt, ad quæ vulgaris noſtra, efficax.

---

## *ANGELICA ATROPVRPVREA Canadenſis.*

## CAPVT LXXV.

ANGELICA atropurpurea, vt & præcedens, non niſi trima caulem facit, inſtar noſtratis.

ibus il-
liorum
memn-
ue am-
lurima
nt: fo-
to gelu
contra-
ratoriæ
elut A-
t ſemi-
craſsâ,
que de-
a com-
antque
um hie-
um no-
is ante
edolet,
m ciet,
tra, ef-

TREA

cedens,
ſtratis.



ANGELICA ATROPVRPVREA CANAD.



Angelica atropurpurea. L.

Huic radix eſt craſſior toroſa, nigrâ cute obducta carne intus albâ & neruo: carnoſioribus etiam fibris adiectis. Folia longè maiora, & plura quàm præcedentis, longiore etiam pediculo emergunt: huius inferiors pars, quæ radice aut caule attinetur, in profundam cauitatem ſulcata, reſupinis caulem labris amplexatur. Caulis vltra hominis proceritatem adoleſcit, per ſemipedalia ſpatia nodis, vt Calamus, & foliis interceptus. A medio ad ſummum multis luxuriatur cauliculis, qui & foliis minoribus ſemper ornantur. Flos antequam appareat, in cymis ſulcatâ folij cauitate obtegitur, quam productior caulis proſcindit, floſque apparet in rotunditatem circumactus, quem ſequuntur ſemina. Caulis huiuſce plantæ, foliorum pediculi atropurpuraſcunt: folia quoque & ſemina obſcura viriditate infuſcantur. Vt odore & ſapore eſt ignauior ſuperiori, ita & virtutibus videtur eſſe inferior.

---

## *APIOS AMERICANA.*

### CAPVT LXXVI.

EX ſemine leuibus ſiliquis contento, & in fictili vaſe decenter ſato, adoleuit planta admodum viuax intra quadriennium, cuius radix exijt in multas ſubrotũdas & oblongas, oliuarum magnitudine, fibras mediis inter ſe noruulis cohærentes. Veris initio ſurculis multis, vitilibus, non validioribus

## APIOS AMERICANA.



Glycine apios. L.

ribus conuoluulo pullulat, quibus proximis quibuſque circumuoluit ſeſe, & illaqueat pedamentis aut perticis, quarum proceritatem vel ſummam creſcendo aſſequitur. Folia hinc inde naſcuntur non è regione cauliculorum diſpoſita, ſed inæquali ſitu in amplas lacinias diſſecta, nunc ſeptem, nunc nouem, numero ſemper impari, ex eadem coſta oriuntur. Singula ſunt aſclepiadis figuræ, breuiore tamen pediculo fulciuntur.

Flos Galeatus aconitorum modo, carneo velut colore longè diuerſus, in ſpicam aut ſpiram breuem agitur. Folia ſimul Octobri ineunte decidunt, cauliculique tabeſcunt. Tubercula radicum ſub terra adoleſcunt, & hieme tota interquieſcunt: donec ſequente vere regerminent.

Sapor foliorum & tuberum dulcis eſt, quæ veſca ob id eſſe exiſtimo. Comparauit, ſibi hanc plantam ex ſiliquis Americanis Veſpaſ. Robin.

## *MYRTVS FLORE PLENO.*

## CAPVT LXXVII.

DE hac nonnihil Ioannes Baptiſta Ferrarius commentatus eſt: lubuit tamen huiuſce fruticis iconem ſubijcere vt cuique & genuinus foliorum ordo, & naturalis florum figura, totiuſque pateret plantæ concinnitas. Nec enim flores habet Bellidis, qui barbulis albis, æqualibus, & rigidis paſtil-

# MYRTVS FLORE PLENO.



licentur, ſed Matricariæ modo multiplici foliorum, ſubrubētium tamen, ordine conſtant: quæ in medio denſius congeſta leuiterque criſpata, oriuntur ex ſubiecto capitulo globoſo, & aliquatenus rubente, quod longiore tenuique pediculo in fragiles plantæ ramulos inſeritur. Folia quæ oblonga ſunt, & in acutiſſimum mucronem deſinunt, maioris Myrti ſpeciem hanc eſſe declarant. Nec enim ad hęc vſque tempora auditum eſt, minorem Myrtum floris duplicitate vſquam viſam: Porrò vt nulla ſpecies Myrti pluribus floribus luxuriat, ita nulla eſt floris diuturnitate commendatior: nec enim geminum exacti menſis ſpatium florem decutit, ſępe trimeſtre durat, nec gelicidiis terretur, quorum inclementiam innoxiè ſuſtinet. Tanta fertilitate floret, vt nunquam ſine flore deprehendatur, priorum ſiquidem defectum occupant noui. Raro in ſemina proſilit, quæ ſi fortè ſubnaſcuntur, infœcunda eſſe ſolent, velutque eliſa, aut ſemiformia in ipſis vteris apparent: nimia quippè florumduratio, & eorum pabulum aufert & incrementi materiam conſumit.

---

## *CALCEOLVS MARIANVS Canadenſis.*

## CAPVT LXXVIII.

A Figura calcei vulgaris, Calceolus Marianus herbariis dicta fuit planta pedali caule ſur-

# CALCEOLVS MARIANVS CANAD.



Cypripedium Calceolus. v. L.
acaule L.

gens, foliis Plantaginis, latis, in longitudinem venoſis. Radice Ellebori nigri. Flore nunc vno, nunc gemino, in calceolum figurato: quatuor ſiquidem foliis ille conſtat atropurpureis, è quorum medio prominet vtriculus ſubrotundus, colore luteus; vacuus intus & inanis, os paruulum ſuperius promens, quâ parte ſolet pes inſeri. Noſter verò Calceolus Americanus, figura quidem nullo modo, ſed magnitudine & colore differt à iam deſcripto, cuius ob eam cauſam de induſtria hiſtoriam attuli; folia ſiquidem longe maiora ſunt, & ferè tantùm gemina naſcuntur. Floris vero vtriculus candidus eſt, lineis rubentibus hinc inde diſtinctus. Radicem quoque tranſuerſam habet, & Ellebori modo fibroſam. Floret Maio. Flore elapſo, apud nos ſemine vidua tota planta, præter radicem, hieme tabeſcit.

## *LVPINVS INDICVS.*

### CAPVT LXXIX.

NIHIL Lupino apud Veteres vulgatum magis, eius enim crebrò inculcant, tum ſerendi modum, tum & vſum in ſtercorandis agris, & pecoribus alendis; dum farraginis mentionem faciunt: verum id præſtat ſilueſtris noſter, & ſatiuus Lupinus vulgaris. Paucis verò ab hinc annis, à nemine quod ſciam deſcripta altera huiuſce plantæ ſpecies ex Indijs allata eſt, quæ multò felicius adoleſcit, aſpecta-

## LVPINVS INDICVS.



bilique florum iucunditate præ cæteris commendatur. Semina huius quotannis vltimo menſis Martij commodiſſimè terrę committuntur, & ſtatim atque pluuiæ inceſſerint, teporque eorum oſcilla madefecerit, illicò germinant, & intra quadrimeſtre confirmantur. Caulem faciunt cubitalis altitudinis, multiſque brachiatum ramulis. Folia circumquaque ſine ordine digeruntur: nunc nouem, nunc vndecim in vnum orbem compoſita, & per media ſingula plicata, longoque pediculo fulta, vnicum folium conſtituunt, quod præ languidâ viriditate canet. In cymis hinc inde flores, velut Piſi, verticillatim caulem ambiunt, coronæ cęrulei coloris inſtar: quos excipiunt ſiliquæ latæ, & breues, trium ad ſummum ſeminum capaces. Caulis, folia, & ſiliquæ, promiſsâ & candidâ lanugine muniuntur. Semina ex rotunditate valdè compreſſa, non alba ſunt vt vulgaria, ſed fuſca: nec lęuem etiam vt illa ſuperficiem habent, ſed pumicoſâ aſperitate rudem. Sapor ſubamarus eſt, ac proindè ad eadem huius Lupini farina valet, ad quæ communis vſus inſtituitur.

APPENDIX

figurae 67

# APPENDIX

## NONNVLLARVM STIRPIVM NONDVM DESCRIPTARVM, QVARVM mentionem verbo tenus fecimus, nec earum Iconem adiecimus.

## CAPVT LXXX.

### *Piloſella Indica.*

QVAM plantam Hieracium Indicum appellant, ad Piloſellæ genus referenda illa eſſe videtur: folium enim oblongum, piliſque longioribus hirtum habet: radicem quoque carnoſam obliquè reptantem, & fibris munitam longioribus, ad inſtar vulgaris noſtræ Piloſellæ: cùm Hieracium vnicâ & longiuſculâ radice altiùs terræ infixum hæreat, nec vſquam eius ſuperficiem obambulet. Caulis huic herbæ exit palmaris, & ſingularis, floribus apicem ornantibus nunc 7. nunc 8. Piloſellæ ſimilibus; preter colorem, qui in eis eſt Croci, aut malorum aureorum. Odorem moſcho fragrantiorem efflat flos alioquin vt ſolſtitialis, ita Solaris lucis & auidus & ſequax. Ex Indijs affertur.

### *Saponaria flore pleno.*

SAPONARIA hæc adeò vulgaris modò in hortis noſtris habetur, vt etiam ferè tædio ſit per-

multis: eaque potiſſimùm de causâ, quòd nimium loci ſpatium ſerpendo conſumat. Itaque aut omninò à cultioribus hortis exulat, cum reliquis reptrinibus, & ſerpiginoſis plantis: aut ſaltem fictili vaſe committitur, eo vt ergaſtulo quaſi contenta, vltrà eius oras non excurrat. Nonniſi floris carnei, multiplicis, ſeſe Auguſto explicantis elegantia diſtinguitur à vulgari noſtra, quam primam nominauimus in catalogo Botanico, & quæ paſſim ad vitium margines, ſcrupeoſq; locos IVRIACI iuxta Sequanam naſcitur: folia tamen pinguiora habet. Nec viribus, nec ſemine, quo plurimo turget elapſo flore, à noſtrate differt.

Viola matronalis flore multiplici.

NVPER aduecta eſt quoque Violæ matronalis ſpecies flore multiplici, quæ vt iucunditate aſpectus, ita & odoris ſuauitate, nihil vulgari noſtræ cedit.

Hiacynthus Chalcedonicus flore pleno.

EST & Hiacynthus Chalcedonicus, quem Lobelius miniatum appellat, cuius iam ſatis vulgaris extat apud nos ſpecies, flore pleno elegantiſſima.

## *Hiacynthus comoſus calamiſtratus.*

HIACYNTHVS Comoſus iſte quàm maximè puro & ſubacto ſolo lætatur, nec niſi in præpingui creſcit. Et ferè ſolùm iuxta pagum BORAN in Galliâ prouenit. Quare luſum potius eſſe arbitror naturæ pre nimiâ alimenti vbertate laſciuiẽtis, quàm veram & ab alijs diſtinctam ſpeciem: ſiquidem ſi tranſplantetur in macro aut ſabuloſo ſolo, ſtatim perit, ac ſi ſuperſtes viuat, ante biennium elapſum to-

tus in vulgarem tranſit, ac priſtinam velut faciem reſumit. Suboſt ergo bulbus, & folia vulgaris effigie ſubnaſcuntur. Thyrſus verò medius eleuatur amplitudine palmari, qui omni ex parte cingitur viticeis mille filamentis contortis, & intricatis, pulchréque punicantibus; quæ vnciali longitudine producta, in plura & breuiora diſtribuuntur, & inſtar plumæ quâ galeas exornant, miro ordine criſpantur. Vnde & accommodato hanc plantam noſtri vocabulo, *Hiacynthe à pennache*, nominarunt. Floret Maio & Iunio: reliquo tempore tota coma areſcit, nec in ſemen vnquam proſilire ſolet.

## *Cyclaminum*, quod vocant, *montis Libani.*

HVIVS Cyclamini folia & flores ſimul prorepunt Automno. Flos vt amplior reliquis omnibus, ita minore copia ſubnaſcitur: coloſſini coloris eſt quidem, ſed dilutiſſimi. Folia habet ampliſſima, quæ cordis effigiem repræſentant, tenuiſſimè in ambitu ſerrata; ſuprà verſicoloribus viriditatis maculis picta, à terra obſcurè punicantia: ſtatim autem à radice oriuntur (eſt enim, vt Theophraſtus ait, non ſolùm plantà hæc [illegible]) Radix in orbem modicè depreſſum conglobata nullis circumquaque fibris veſtitur, vt vulgaris Cyclamini, ſed longiora filamenta tuberi ſolùm ſubſunt per quæ, vt Cepa ſolet, humi teporem effugit.

## *Chelidonium maximum Canadenſe ἄκαυλον.*

EGREGIA hęc planta tribus tantum foliis conſtat, amplis, glaucè virentibus, & vitium modo laciniatis: radicem habet carnoſam, ſuccoque, vt & folia, turgidam flauo, & virus quoddam olente: quod maximè familiare eſt Chelidonij ſpeciebus. E radice ſine caule vt folia emergunt, ita & flos albus ſtatim proſilit, tenuiq; petiolo ſubrubenti, velut Cyclamini flos, ſuſtinetur. Huic Chelidonij nomen dedimus, tum à ſimilitudine noſtratis, tum etiam quòd Hirundinum tempore floreat.

## *Herbatum Canadenſium, ſiue Panaces moſchatum.*

SVO LOCO debuiſſet hoc Panacis genus capiti [illegible] huius libri, ſi iconem ære inſculptam habuiſſemus: verum id non licuit, quia Calchographus noſter peregrè profectus erat. Ac proinde huic loco inſeruimus. Eſt ergo planta bicubitalis, radice albâ, longâ, carnoſâ: foliis, quæ prima prodeunt, longis & latis, Coſto hortenſi, aut Lepidio ſimilibus, (hoc eſt leuiter ſolùm in ambitu denticulatis) ſequentibus verò in profundas adeò lacinias diſſectis, vt illæ folij coſtam ferè pertingant; pedalia folia longitudine eſſe ſolent, & [illegible] latiora, caulemq; iuxta terram cingunt. Nec enim vlla per caulem diſtribuuntur: niſi fortè vbi caulis in ramulos didu-

citur: hac enim parte breue foliolum naſcitur, ſed mutilum nihilque debitæ formæ retinens, ibique eſt potius vinculi loco quàm folij, ſacrâ ita diſponente naturâ, ne videlicet ea pars, quæ eſt fragilis & impar capitis oneri, ventorum flatibus diſrumperetur. Hac ergo parte caulem nodo velut geniculo roborauit, muniitq; tuberculo adnati ramuli extremum, & vtrumque foliolo, velut membranâ latius extensâ obduxit quò validius obfirmaret. Cymæ ſingulorum caulium in vmbellam ſe ſpargunt, adeo grauem vt antequam floſculi hient deorſum vſque nutet, Flos albus eſt, vt Panacis vulgaris, odore præcipuus, qui è longinguo quemque inuitat halitu moſcho gratiore. Semina ſuccedunt minus lata vulgaribus. Floret Septembri, & Octobri. Tota planta ſubalbido & aſperiore tomento obducta eſt.

Sapor foliorum acer eſt & odoratus, ſub finem aliquantulum amarus. Radix verò non tantum amaritudinis habet.

## *Statichr maxima Americana.*

HVIC radix longa eſt, nulliſque aut rariſſimis fibris hirta: folia ex triunciali longitudine in vncialem latitudinem extenduntur, obſcurâ quidem ſed nitidâ viriditate prædita. Omnia iuxta terram naſcuntur in orbem compoſita. In ſingulis gemini neruuli excurrunt, velut in Plantagine; eſtque foliorum mucro valdè retuſus. Cauliculus vnus aut alter iunceus è medio pullulat, in cuius apice floſcu-

lorum alborum globulus emicat, ante partum quidem tenui & pellucidâ membranulâ velut veteri ergaſtulo conceptus, quæ dum florendi tempus inſtat, (quod eſt prodigio proximum) ſenſim hiat, nec rumpitur: & licet tunc ſit latior, in ſubiectum tamen cauliculum reuoluta contrahitur, ac denſat ſeſe in anguſtias cauliculo pares. Huic eſt frigida & ſicca facultas: peculiaris in eâ vis eſt ad prociduam anum, aut vuluam: validiuſque id præſtat ſi inflammatio vtramque obſederit partem. Acidus quoque plantæ ſapor eam in putridis febribus magnoperè commendat.

## *Radix Snaqrôel nothæ Angliæ.*

MISSA quoque eſt ad me (ex nothâ Angliâ Radix quam Serpentariæ vocant, vernaculè *Snaqrôel*, cum hac inſcriptione. Hæc radix Alexiterium præſentiſſimum eſt, contra morſum ſerpentis ingentis, pernitioſiſſimique in nothâ Angliâ, cuius morſus intra duodecim horas interficit, niſi huius radicis ſumatur portio, quâ ſumpta nullus vnquam auditus eſt periclitari de vitâ.

# ENCHIRIDIVM BOTANICVM PARISIENSE.

## Continens Indicem Plantarum, quæ in Pagis, Siluis, Pratis, & Montoſis iuxta Pariſios locis, naſcuntur.

*Per* IACOBVM CORNVTI, *Doctorem Medicum Pariſienſem.*

*Per portam Nouam iter eſt in Pagum à ſaxis & lapicidinis dictum* Chaillot, *in quo poſt hoſpitium è regione Conuentus Minimorum poſitum, & in colliculis editioribus incultis iuxta ſitis, hæc plantarum genera reperiuntur.*

Silybum ſiue Carduus lacteus. Leucographis Pl.
Argemone capitulo torulis canulato.
Argemone capitulo longiore.
Rubia maior .ſ. Rubia tinctorum officinarum.
Gallium.
Fœniculum.
Meum Spurium.
Beupleuron .ſ. Coſta bouis.
Linaria .ſ. Oſyris.
Anthyllis leguminoſa.

Tragopogon minus.

Cynanchica Dalechampij.

Stœbe capitata.

Irio .ſ. Eryſimum Dioſc.

*Si paulò amplius proceſſeris, profecturus in Suburbanum nemus, quod Bononiacum vocant; per viam in ſcrobibus ſatis ibi frequentibus, & in aggeribus lapidum offendentur.*

THlaſpi minimum flore luteo.

Trifolium Cochleatum.

Anthirrhinum medium.

Anthirrhinum minimum.

Rhamnus Catharcticus. inter ſepes vinearum. *In Pago dicto* Autheuil.

Attractilis.

Acarnæ varietas.

## In Siluis Bononiacis.

*Si diligenter perquiſiueris, nunc rectus & ambulans, nunc ſtans: plerumque flexus & in genua procumbens, nulla plantarum quæ ſequuntur effugiet aſpectum tuum.*

HIacynthus ſtellaris autumnalis.

Hieracium minus præmorſa radice,

Hieracium longius radicatum.

Hieracium Sabaudum.

Papauer corniculatum flore luteo.

Pulſatilla flore violaceo.

Pulſatilla atropurpureo flore.

Virga aurea.
Glaſtum ſatiuum.
Cataputia maior.
Perfoliata ſiliquoſa.
Hypericum.
Centaurium minus flor. rubris.
Linaria purpurea.
Lithoſpermon maius.
Veronica mas.
Veronica recta minima.
Prunella .ſ. ſymphytum petræum minus.
Symphytum petræum maius .ſ. Bugla. { flor. albis. / cæruleis. / & carneis.
Scordium alterum. ſ. Saluia Bokij.
Agrioriganum.
Alliaria.
Betonica.
Serratula Matthioli.
Scrophularia maior.
Verbena Dioſcor.
Scabioſa minima Glabra.
Scabioſa ſilueſtris inciſo folio.
Stœbe vulgaris.
Morſus Diaboli .ſ. ſucciſa.
Horminum ſilueſtre.
Verbaſcum mas.
Verbaſcum fœmina.
Blattaria flore { luteo. / albo.

Cynogloſſum.
Symphytum maius offic. ſ. Conſolida major
Pulmonaria maculoſa.
Pulmonaria Gallorum.
Lappa maior. ſ. Perſonata. Bardana.
Saxifragia alba Chelidonides.
Aſclepias. ſ. Hirundinaria.
Caprifolium. ſ. matriſilua.
Polygonatum mas.
Polygonatum tertium Cluſij.
Geranium Batrachioides minus.
Ranunculus nemoroſus flore albo, & carneo
Saxifragia.
Ammi vulgatius.
Oenanthe. ſ. filipendula.
Cicutaria maxima.
Thalictrum minus.
Millefolium { florib. albis, & rubris.
Millefolium tuberoſum, quod tertio à ſatu anno in hortis noſtris degenerat.
Ciſtus humilis. ſ. flos ſolis.
Mollugo vulgaris.
Cruciata minor. ſ. aſperula aurea.
Filix fœmina.
Carduus fullonum.
Virga paſtoris.
Natrix Plinij.
Melilotus coronata.

Ciſtus humilis annuus folijs Salicis.
Symphitum maius.
Labrum veneris.
Lychnis repens.
Fragaria.
Fragaria quadrifolia, & trifolia minimè veſca.

*Luſtrato vniuerſo nemore, egreſsio fiat per portum* Neüilly, *obiterque ſubi pratum ponti ſubditum, obſeruaturus numquid in eo natura noui produxerit. Ego quidem peculiare nihil vmquam comperi: verum fortaſsis aliquando præter expectationem rarum quid in eo offendi poterit; quod eo maxime fiet, quia ſecundum fluuium eſt: ſecum enim longinquarum plantarum ſemina fluuij conuehunt, quæ dum illi ex alueo per hiemem exundant, proximis quibuſque locis inſerere ſolent.*

## Mons Valerianvs.

*Pete inde montem à Valerio* Valerianum *dictum. In huius pede, & decliuiori parte per vineas, hæ maximè naſcuntur plantæ.*

Tvſſilago.
Condrilla viminea.
Draba aruenſis.
Mille-grana Thlaſpi ſpecies.
Behen album ſ. Papauer ſpumeum.
*In vertice verò, ſingulares hæ creſcunt.*
Oreoſelinum.

Geniſtella tinctorum.
Lychnis ſilueſtris 3ª Cluſij cauliculis ſtriatis.
Aſclepias non ſcriptum, folijs nigris, in ſummo hiſpidis.
Campanula rotundi folia, *inter ſaxa pullulat.*

## SAINCT CLOVD.

*Soleo ab iſto monte in Pagum à Sancto Clodouæo,* Sainct Cloud *dictum proficiſci. In quod te etiam, ſi animus ferat, à dextris ſemita recta deducet. Interim ſi (obſonando famem, donec cœna frugalior, qualis ingenuos decet herbarios apparetur) ſecundũ Sequanæ ripas deãbulatio fiat, occurrent,*

Lingua maior Dalechampij.
Potamogeton perfoliatum.
Potamogeton perſicariæ folio.
Hepatica aquatica. *medijs in aquis.*
Muſcus aquaticus ferulaceus.
Hippuris fœtens. *ſub aquis.*
Maratriphyllon aquaticum.
Nymphæa vtraque.

## A LA BVTTE DE SEVRE.

*Sequenti die ſummo te mane committes itineri, vt maturè & ante æſtum diei, in Pagum* Seure *dictum peruenias. Ibi colliculus eſt plurimi apud herbarios noſtros nominis, quem nonnulli montem Anglorum vocant; alij verò Monſpelienſem monticulum, in quo præcipuæ hic creſcunt, & nuſquam tales reperiuntur.*

PHalangium ramoſum.
Phalangium non ramoſum.
Orchis Sphegodes Cornelij gemmæ rubentibus florum alis.
Burſa paſtoris minima.
Pneumonanthe.
Trachelium minus.
Aſter Conizoides montanus minor.
Linum ſilueſtre flor. albis.
Globularia Monſpelienſis.
Conſiligo Ruellij ſ. Elleboraſtrum.
Carduus acaulis Septentrionalium.
Ononis minor non ſpinoſa lutea.
Linoſyris purpuro cærulea.
Sferro Cauallo.
Lotus Enneaphyllos ſ. coronilla & Colutea minima.
Digitalis purpurea.

## MEVDUN.

*Meudoni per ſemitam quæ eſt poſt Parrochiam, patet iter in Prata irrigua, in quibus offenduntur.*

TRifolium pratenſe ſiliquoſum.
Solanum Tetraphyllon ſ. herba paris.
Bifolium ſ. Ophris.
Plantago minor ſ. quinquenerula.
Elleborine Pratenſis flore rubicundiore.
Calamintha altera odore graui pulegij.

Mentha Cataria.
Cirſium alterum. ſ. Carduus pratenſis Tragi.
Cirſium Anglicum.
Chelidonium minus.
Angelica pratenſis minima.
Angelica aquatica maior.
Angelica fuchſij.
Eleoſelinum. ſ. paludapium, G. Aſche.
Ophioglosſum.
Rorida. ſ. ros ſolis.
Alliaria.
Herba turca. ſ. herniaria.

Satyrij multæ ſpecies, folio { maculato. aut non maculato.

Gramen bombicinum.
Gramen cyperoides.
Gramen villoſum.
Valeriana minima pratenſis.
Cotyledon minus repens.
Lamium luteum repens.

*In editioribus & apricis locis*

Gnaphalium flore rubro.
Gnaphalium flore albo.
Geniſtella aculeata.
Scorpius ſ. Geniſta aculeata maior.
Geniſtella infectorum.
Oxyacantha. ſ. berberis.

Muſcus cyphoides.
Muſcus corallinoides.
Pentaphillon argentatum.
Tormentilla.
Tragorchis .ſ. teſticulus hircinus.
Ampelopraſſon.
Tota bona .ſ. Bonus Henricus, & ſpinacia ſilueſtris.
Oxalis veruecina.
Plantago major.
Plantago incana.
Rapuntium minus.
Telephium .ſ. Craſſula.
Sepæa.
Glaux vulgaris .ſ. Glycyrriſa ſilueſtris.
Arum officinarum .ſ. pes vituli.
Smilax læuis.
Conuoluulus minor purpureus.
Bryonia .ſ. vitis alba.
Tamus .ſ. ſigillum Beatæ Mariæ.
Flos amberualis .ſ. aſtragaloides herbariorum.
Ononis.
Polypodium murale.
Polypodium quernum.

*In Dumetis, quæ alluuntur riuulo præterlabente.*

Oxys pliniana .ſ. Oxyitriphyllon, officinarum.
Saginæ ſpergula.
Aſperula. ſ. aſpergula.
Meliſſophyllon fuchſij.

Veronica ſerpilli-folia.
Morſus Gallinæ folio Ederulæ.
Alſine myoſotis hirſuta.
Caryophyllus nemoroſus minor.
Tunica .ſ. Caryophyllus ſilueſtris minimus.
Caryophyllus Montanus.
Lyſimachia ſiliquoſa ſilueſtris.
Lupus ſalictarius.
Lamium luteum repens.

*In Siluis maioribus.*

Cratæogonum.
Gramen leucanthemum Dodonæi.
Hiacynthus non ſcriptus Dodonæi.
Serapias montana maculatis folijs.
Tithymalus Characias.
Valeriana maior mas.
Valeriana ſilueſtris fœmina.
Peucedanum.
Filix mas.
Filix aculeata major, *in ſiluis Capucinorum.*
Bruſcus.
Sorbus.
Geranium facie pedis columbini.
Glaux exigua maritima Dioſcorid. *In ſiluis Caſtelli.*
Gratiola minor Bauhini. *ibid.*
Myoſouros Lobelij .ſ. Cauda muris *inter ſegetes.*
Chamædryis laciniatis folijs, flore purpureo, & albo.
Aſperula cæruleis floſculis & purpureis.

Polytrichon Apuleij.
Trifolium maculatum flore luteo.

## *In Pratum* GENTILLY.

*Itur per portam Sancti Marcelli. Statim in ingreſſu ſecundum riuulum qui Pratum alluit, ſeſe offerunt plantæ, quæ ſequuntur.*

Solanum lignoſum .ſ. dulcamara.
Lyſimachia purpurea.
Lyſimachia lutea .ſ. ſalicaria { trifolia. & quadrifolia.
Lyſimachia ſiliquoſa pratenſis.
Lyſimachia Galericulata.
Vlmaria .ſ. Regina Prati.
Alnus aquatica.
Gramen Iunceum paluſtre articulato folio Bauhini.
Cyperus longus odoratior.
Gramen Cyperoides.
Gramen panniculoſum.
Acorus noſtras paluſtris.
Sparganium .ſ. butomos Theophraſti.
Sparganij ſecunda ſpecies.
Iuncus Cyperoides floridus, paludoſus.
Crateuæ Sion Eruçe-folium .ſ. berula minor aquat.
Naſturtium aquaticum.
Cardamine altera .ſ. ſiſymbrium.
Plantago aquatica.
Hidropiper .ſ. perſicaria vrens.

*In ipſo Prato reperiuntur.*

Gramen phalarioides.
Serapias paluſtris latifolia.
Iacobea.
Perſicaria vtraque, maculata & immaculata.
Gratiola maior.
Ptarmica .ſ. ſternutamentoria.
Anagallis aquatica.
Nummularia.
Teucrium pratenſe.
Euphraſia minor.
Cardiaca .ſ. agripalma.
Marrubium aquaticum.
Cannabis aquatica.
Eupatoria Cannabina.
Criſta Galli herbariorum.
Betonica aquatica Septentrionalium.
Iacea nigra vulgaris.
Tragopogon luteum maius.
Scorzonera pratenſis.
Caltha paluſtris Geſneri.
Ranũculus paluſtris .ſ flãmula aquatica { rotundiore folio. & anguſtiore folio.
Argentina.
Daucus pratenſis .ſ. carui, Gallis *Cheruys.*
Oenanthe aquatica repens.
Oenanthe aquatica tuberoſa { maior. minor.
Thalictrum maius .ſ. phellandrium Dodon.

Seſeli pratenſe.
Pedicularis.
Cynanchica Dalechamp.
Trifolium pratenſe.
Trifolium paludoſum.
Trifolium fragiferum.
Armoraria .ſ. Veronica pratenſis.
Alſine myoſotis ſcorpioides.
Chamælinum ſerotinum floribus albis.
Bellis maior.
Bellis minor.
Chamæbalanos flore luteo.
Mentha aquatica.

*In Pago dicto* IVRY *iuxta Sequanam, per vineas.*

ARiſtolochia clematitis.
Hyoſcyamus niger.
Saponaria vulgaris.
Saponaria altera, puluere nigro floris infeſta.
Solanum alchekengi.
Elleborine .ſ. epipactis flore viridi maior, *in ſiluis domeſticis.*
Chelidonium minus, *ibid.*
Ornithogalum flore luteo, *in noualibus primo vere.*
Chamædrys laciniatis foliis, *ibid.*
Phyllitis .ſ. lingua ceruina, *in puteis.*

*In Pratis Pagi* PALUESEAV.

Colchicum vulgare.
Colchicum Amaranthino flore.

*In Porta Sancti Antonij, in interſtitiis lapidum quæ mœnia vrbis componunt.*

Saluia vita.

Hydrolapathum maius, *in aquis ſtagnantibus.*

### A LA RAQVETTE.

Berula maior.

Scordium.

Xanthium .ſ. Lappa minor.

### *In Pago* CHARENTON.

Armeria prolifera.

Arthemiſia tenui-folia.

Viſcaria .ſ. muſcipula flore muſcoſo.

Polium Montanum.

### *In ſiluis vitæ ſanæ, quæ vernaculè* Viſaine *dicuntur.*

Orchis ſphegodes C. Gemmæ obſcuris floribus.

Tithymalus Cypariſſias.

Tithymalus helioſcopius.

Polygala .ſ. flos amberualis, { cæruleus. & rubellus.

Serpillum maius.

Serpillum minus.

Coronopus ſilueſtris.

Coronopus repens Ruellij.

Paronychia alſinefolia.

Paronychia altera rutaceo folio.

Chamædrys.
Pinus ſilueſtris.
Ornithopodium verum.
Geniſta ſcoparia .ſ. ſpartium.
Eryſimum aquaticum.
Orobanche.
Linodorum.
Fungi clypei-formes.
Fungi fauis ſimiles, Gallis *Morilles.* 20

*In Clauſtro Minimorum.*

Narciſſus luteus ſilueſtris Dodonæi.

*In Campo dicto* LA VARENNE DE S. MAVR.

Gramen nodoſum bulboſum.
Ornithogalum flore albo.
Chamælinum ſilueſtre.
Fagopyrum Dodonæi, vulgò *bled Sarrazin.*
Glaſtum ſatiuum.
Eſula minor.

*In Cruce* FAVBIN, *iuxta Pagum* Charonne. 6

Abſynthium tenuifolium.
Tribulus terreſtris.
Verbena.
Fœnum Burgundiacum.

*In Prato* Sainct Geruais. 4

Gramen exile durius.

Pſyllium maius & minus.
Cotonaria. ſ. gnaphalium vulgare, & herba impia.
Titymalus leptophyllos.

*In monte falcone dicto* MONTFAVLCON.

Perfoliata.
Caryophyllus ſilueſtris minor.
Centaurium luteum perfoliatum.
Statiche Dalechamp.

*In Pago* AVBERVILLIERS.

SInapi ſatiuum & agreſte.
Eruca ſatiua.
Irio. ſ. Eryſimum Dioſcorid.
Peplis .ſ. Eſula rotunda.
Eſula exigua Tragi.
Petroſelinum.
Paſtinaca domeſtica.
Paſtinaca Dioſcorid.
Paſtinaca ſatiua atrorubens.
Melo.
Pepo.
Cucurbita, omnis generis.
Cucumis, &c.
Aſparagus domeſticus.
Fœnum græcum.

*Eundo in Pagum dictum* LABARRE *iuxta Sancta ſeptimam.*

Conyſa maior.

Conyſa minor.
Iuncus læuis vulgatus.
Linum.
Pulegium regium.

*In Pago* MONTMORENCY.
*In ſtagnantibus Piſcinarum aquis & vicinis locis.*

Aquatica cotyledon.
Anagallis aquatica altera.
Calamintha aquatica.
Mentha vulgaris.
Helenium. ſ. Enula campana, *à l'eſtang ſec.*
Mentha ſiſymbria.
Mentha rotundifolia.
Nymphæa alba.
Nymphæa lutea.
Morſus Ranæ.
Gramen Parnaſſi.
Myriophyllum equiſetifolium.
Myrophyllum aut marathriphyllum paluſtre.
Equiſetum. ſ. Hippuris.
Oſmunda regalis.
Ranunculus aquaticus hepaticæ facie.
Salix.

*Paſsim inter ſiluas, iuxta Caſtellum dictum à venatione* DE LA CHASSE.

Aſphodelus Hyacinthinus fortè Galeni.
Allium vrſinum.
Moly ſerpentinum.

Cynocrambe .ſ. mercurialis ſilueſtris.
Alſine repens, fortè Cacubalum Plinij.
Circæa Lutetiana.
Pyrola .ſ. limonium Cordi.
Trachelium. ſ. Ceruicaria.
Rapuntium maius .ſ. alopecuroides.
Chamænerion Geſneri.
Tithymalus leptophyllos.
Daphnoides .ſ. Laureola.
Androſæmon maius .ſ. periclymenon Italorum.
Linoſyris nuperorum.
Linaria aurea Tragi.
Acinos .ſ. Bethonica Pauli.
Clinopodium.
Helxine Ciſſampelos altera, triplicis effigie.
Aracus.
Lathyris leguminoſa.
Sorbus domeſtica.
Fraxinus.
Nux iuglans.
Aquifolium .ſ. agrifolium.
Quercus vulgaris.
Fagus.
Caſtanea.
Ebulus.
Sambucus.
Euonymos Theophraſti.
Cornus Dioſcoridi.
Cornus fœmina. ſ. Virga ſanguinea.

## In pago SAINCT PRIX.

Aſarum.
Viorna vulgi .ſ. clematis altera Matth.
Lupus ſalictarius .ſ. lupulus.
Clematis Daphnoides .ſ. peruinca.
Bruſcus .ſ. myrtus aculeata.
Malua ſilueſtris repens pumila.
Althæa.
Alcea.
Sanicula.
Pentaphyllum vulgare.
Pentaphyllum argentatum.
Agrimonia offic. ſ. Eupatoria Græcorum.
Tormentilla.
Caryophyllata.
Fragaria.
Podagraria.
Angelica ſilueſtris.
Tanacetum.
Inodorum.
Matricaria noſtras.
Anthemis vulgatior .ſ. camomilla.
Aſperula aut aſpergula.
Alyſſon Germanicum Echioides.
Rubia minor ſilueſtris.
Trichomanes.
Lagopus maior.
Vaccinia nigra & rubra.
Buxus.

Liguſtrum.
Frangula .ſ. alnus nigra baccifera.
Prunus ſilueſtris.
Tilia mas & fœmina, *Tilleau.*
Vlmus, *Orme.*
Betula. *Boulleau.*
Carpinus.
Corylus.
Populus alba.
Populus nigra.
Acer maius, *Sycomore.*
Oxyacantha, *Aulbeſpine.*
Vua criſpa, *Groiſelles ſauuages.*
Ribes, *Groiſelles rouges.*
Erica pumila.
Erica flore purpurante.
Erica ſcoparia floſculis herbaceis.
Iuniperus maior.
Iuniperus minor.
Cannabis ſpuria.
Sambucus aquatica.

*In oppido* FONTAINE BLEAV.

Orchis ſpiralis odorat C. Gemmæ.
Gentiana cruciata.
Filix aquatica repens. *à Matzerbe.*

*In pago* BELE'.

Doronici varietas.

*In pago* SAINCTE RENE.

Gentiana maior.

*In Clauſtro Carthuſianorum, Pariſijs.*

Abrotanum { fœmina. / mas.
Abſynthium vulgare.
Piloſella.
Ranunculus pratenſis reptante cauliculo { vrens. / dulcis.
Ranunc. prat. ſurrectis cauliculis.
Ranunculus dulcis Tragi .ſ. morſus equi.
Panax heracleum.
Spondylium.
Pimpinella.
Ruta hortenſis.

*Iuxta Caſtellum* GRIGNON.

Polium Lauendulæ folio.
Geniſtella pinnata.

IN MACERIIS.

Iris vulgaris.
Keiri arabum .ſ. leucoium flore luteo.
Aizoon maius.
Semperuiuum minimum .ſ. illecebra, *in tegulis.*
Illecebra maior.
Sedum ſcorpioides.
Sophia Chirurgorum.

Turritis.

*In pago Montis Martyrum dicto.*

Hiacynthus botryoides .ſ. comoſus minor.
Leuco-narciſſolirium minimum.
Epithymbra .ſ. Caſſitha.

*Inter* SEGETES.

Gramen Caninum.
Iſchæmon .ſ. Galli crus Apuleij.
Bromos .ſ. ſterilis auena.
Ægylops Bromoides.
Lolium.
Vſtilagines ſegetum.
Melampyrum .ſ. triticum vaccinu
Nigellaſtrum Dodonæi.
Hiacynthus comoſus.
Thlaſpi vmbellatum florib⁹ albis. *à Breuan*
Atriplex olida.
Heliotropium maius .ſ. verrucaria.
Papauer erraticum.
Eranthemum Geſneri. ſ. flos Adonis.
Iſatis ſilueſtris .ſ. Vaccaria.
Chamæpitis mas .ſ. aiuga.
Onobrychis.
Lithoſpermon minus flore albo, purpurante.
Anagallis phœnicea mas.
Anagallis cærulea fœmina.
Elatine Dioſcorid .ſ. veronica fœmina fuch.
Euphraſia altera.

Tetrahit .ſ. Heraclea ſyderitis Dioſcorid.
Scabioſa ſatorum.
Cyanus vulgaris.
Chryſanthemum ſegetum. ſ. bellis papaueri-folia.
Olus album Dodonæi .ſ. phu. minimum.
Scandix .ſ. pecten veneris Plin.
Caucalis albis floribus.
Caucalis flore rubro.
Conſolida regia .ſ. Calcaris flos recent.
Melanthium .ſ. Nigella Romana.
Lagopus minor.
Melilotus.
Aphaca.
Aracus .ſ. Craca minima.
Iſchæmon vulgare.
Trifolium luteum minimum.

*Per Margines viarum.*

Lolium.
Gramen pratenſe.
Hordeum ſpontaneum ſpurium.
Lampſana.
Barbarea. ſ. pſeudo-bunias.
Thlaſpi Drabę folio Lobelij, quod pelcatum vocant.
Thlaſpi vulgatiſſimum vaccariæ folio.
Burſa paſtoris maior.
Reſeda Plinij. ſ. Herba amoris.
Senecio.
Seris ſilueſtris .ſ. Cichorium ſilueſtre.
Taraxacon .ſ. Dens leonis.

Sonchus vterque.
Blitum.
Atriplex. ſ. pes anſerinus.
Atriplex vulgaris. Parietaria.
Mercurialis mas & fœmina.
Solanum hortenſe .ſ. morella.
Papauer ſpurium .ſ. Behen album Monſpel.
Luteola.
Polygonum. Alſine.
Marrubium nigrum .ſ. Ballote.
Marrubium album.
Galeopſis .ſ. Vrtica non mordax purpurea.
Lamium .ſ. angelica flore albo.
Vrtica minor .ſ. græca.
Echium .ſ. Borrago officinarum.
Malua vulgaris.
Geranium Robertianum.
Geranium pes columbinus.
Cicuta.
Capnos .ſ. fumaria.
Aſperugo .ſ. phylantropos.
Acanthium.
Carduus ſtellatus .ſ. calcitrapa, *Chauſſetrape.*
Carduus vulgatiſſimus viarum.
Eryngium.
Roſa canina. Rubus.
Lampſana.

FINIS.

# PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE, A nos Amez & Feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts ou leurs Lieutenans, & à tous nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra. Salut, Noſtre bien Amé Maiſtre IACQVES CORNVTI Docteur Regent en la Faculté de Medecine à Paris, Nous a fait tres-humblement remonſtrer qu'il auroit fait & compoſé vn liure lequel il deſireroit donner au public, & faire Imprimer ſoubs le tiltre de *Canadenſium Plantarum, Aliarumque nondum Editarum Hiſtoria*, enrichie de la figure en taille douce de chaque plante, & ſur la fin du liure eſt adjouſté vn *Enchiridium Botanicum Pariſienſe*. Mais il craint que quelques Libraires ou Imprimeurs autres que ceux qu'il auroit choiſis pour cet effect, ne vouluſſent s'ingerer de l'Imprimer ſemblablement, ou ſuſcitaſſent les Eſtrangers de ce faire, ce qui tourneroit au dommage & à la perte dudit expoſant, & de ceux auſquels il auroit fait entreprendre ladite Impreſſion ſur l'eſperance d'en retirer auec la recompenſe de leur labeur les frais & miſes qu'ils y auroient aduancez. Pour à quoy obuier il nous a tres-humblement requis & ſupplié de luy octroyer nos lettres ſur ce neceſſaires. A CES CAVSES, deſirans bien & fauorablement traitter ledit expoſant recognoiſtre ſon labeur, & qu'il ne ſoit fruſtré des fruicts d'iceluy, luy auons permis & octroyé permettons & octroyons de nos grace ſpeciale, pleine puiſſance & authorité Royalle par ces preſentes, d'Imprimer ou faire Imprimer & mettre en lumiere ledit liure en tel volume, marque & caractere que bon luy ſemblera, & par tel Libraire qu'il voudra, & iceluy mettre & expoſer en vente & diſtribuer durant le temps & eſpace de dix ans accomplis à commencer du iour qu'il ſera

acheué d'Imprimer, faiſant tres-expreſſes inhibitions & deffences à tous Imprimeurs, Libraires Eſtrangers & autres perſonnes de quelque qualité qu'ils ſoient d'Imprimer faire Imprimer ou mettre en vente durant ledit temps ledit liure ſoubs faulces marques ou autres deſguiſemens ſans l'expres conſentement & permiſſion dudit expoſant, ou de ceux ayans charge de luy, ſur peine de confiſcation d'iceluy, de mil liures d'amende, applicables moittié aux pauures de l'Hoſtel Dieu de cette Ville de Paris, & l'autre moitié audit expoſant, & de tous deſpens, dommages & interreſts enuers luy, à la charge d'en mettre deux Exemplaires en noſtre Bibliotecque publique, auant que de le faire expoſer en vente, ſuiuant nos Reglemens, & vn en celle de noſtre treſ-cher & feal le ſieur Seguier Cheualier Garde des Sceaux de France à peine d'eſtre deſcheu dudit priuilege. SI VOVS MANDONS, & à chacun de vous enjoignons que du contenu en ces preſentes vous faciez ſouffriez, & laiſſiez jouyr ledit expoſant pleinement & paiſiblement, & à ce faire & ſouffrir contraigniez tous ceux qu'il appartiendra, & en mettant au commencement ou à la fin dudit liure ces preſentes ou vn bref extraict d'icelles. Voulons qu'elles ſoient tenuës pour deuëment ſignifiées, & qu'au Vidimus d'icelles foy ſoit adjouſtée comme au preſent Original. CAR tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Paris le 23. iour d'Octobre, l'an de grace 1634. Et de noſtre regne le vingt-cinquieſme.

Par le Roy en ſon Conſeil. GVEROVLT.

---

*Menda quæ incuriâ correctoris obrepſerunt.*

Primapagina ad Lectorem *[illegible]* *lege* *[illegible]*.
Fol. 13. verſu 17. caulem enim, &c. *lege florem enim.*
Fol 17. in titulo de Valeriana, *lege* *[illegible]* *Canadenſis.*
Fol. 21. vltimo verſu, expreſſum, *lege impreſſum.*
Fol. 37. in titulo ramoſum, *lege* *[illegible]*.
Fol. 51. verſu 21. ſenſum, *lege ſenſuum oblectationi.*
Fol. 71. verſu penultimo, Nutritionum, *lege Nutritiorum.*
Fol. 96. verſu vltimo præſtie, *lege præſtita.*
Fol. 112. verſu 13. vix quiſquam poſſit, *lege quidquam poſſit.*

*Acheué d'Imprimer le 30. Decembre 1634.*

ions &
s autres
er faire
dit liure
exprés
e ceux
luy, de
ures de
ié audit
enuers
nostre
ſer en
reſtes-
aux de
V O V S
lu con-
t iouyr
e faire
, & en
és pro-
ſoient
icelles
CAR tel
tobre,
ieſme.

